



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Tractatvs Decimvs Octavvs, El Vltimvs. De gubernatione verum, eiusque effectibus, qui sunt conferuatio, & mutatio, qua Deus creaturas mutat, & mouet vel immediatè, vel mediantibus alijs creaturis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

prima expositio non videtur posse habere locum. Siquidem dum dicitur, *et operaretur, et custodiret illum*, pronomen *illum* in hebræo est feminini generis, ac proinde refertur ad *paradisum*, qui pariter in hebræo est feminini generis, non autem ad *hominem*, qui est generis masculini.

31. Quæritur nono, vtrum homo factus fuerit in paradiso?

Respondet Sanctus Thomas art. 4. q. 102. quod homo factus fuit extra paradisum, ac deinde in paradisum translatus. Probatur: nam Gen. 2. dicitur: *Tulit Deus hominem*, hoc est Adam, *& posuit eum in paradiso*. Rationem congruentiæ affert Sanctus Thomas. Nam, eatenus paradisus erat locus congruus homini in statu innocentie, quatenus homo in eo statu erat incorruptibilis, hoc est immunis à corruptione, & morte: sed homo erat immunis à corruptione, & morte, non per naturam, sed per donum Dei supernaturale: ergo paradisus erat locus homini congruus, non per naturam, sed per donum Dei supernaturale: ergo conueniens fuit, ut ad hoc insinuandum, homo prius crearetur in suo loco naturali extra paradisum, deinde transferretur in paradisum, in eo mansurus, donec viveret vitam animalem, manducando, bibendo &c. ac donec assumeretur in cælum empyreum, visurus Deum, ac ducturus per totam eternitatem vitam spiritualem. Licet autem Adam formatus fuerit extra paradisum, filij generati fuissent in paradiso, non propter suam dignitatem, sed propter dignitatem principij, sicut etiam Heua debuit formari in paradiso propter dignitatem principij, hoc est Adami, qui iam fuerat in paradiso collocatus.

TRACTATUS XVII. ET VLTIMVS.

De gubernatione rerum eiusque effectibus, qui sunt conseruatio, & mutatio, qua Deus creaturas mutat, & mouet immediatè, vel medianibus alijs creaturis.



VIA Deus non solum ab initio res creauit, distinxit, & ordinauit per opera sex dierum, sed etiam eas gubernat, ideo Sanctus Thomas postquam à questione 44. vsque ad 102. inclusiuè egit de creatione, ac distinctione rerum, & de operibus sex dierum, quæst. 103. descendit ad agendum de diuina gubernatione, ac de duobus præcipuis

eius effectibus, qui sunt rerum conseruatio, & mutatio. Quæstione igitur 103. agit de diuina gubernatione: Quæst. 104. agit de rerum conseruatione, quæ est primus effectus diuinæ gubernationis: Quæst. 105. & sequentibus vsque ad 119. & ultimam, agit de rerum mutatione, quæ est secundus effectus gubernationis. Et quia res possunt mutari, vel immediatè à Deo, vel medianibus alijs creaturis, ideo quæst. 105. agit de mutatione, qua res mutantur à Deo immediatè: quæstionibus sequentibus agit de mutatione, qua res mutantur ab alijs creaturis. Et quidem à quæst. 106. vsque ad qu. 114. inclusiuè agit de mutatione, qua creaturæ spirituales, hoc est, Angeli vel boni, vel mali agunt in alias creaturas, tum spirituales, tum corporeas, & harum quæstionum doctrinam explicauimus supra agentes de Angelis, tract. 13. qu. 193. & sequentibus vsque ad quæst. 210. Quæst. 115. & 116. agit de actione creaturæ corporalis, ac de fato. Quæstione demum 117. 118. & 119. agit de actione hominis, qui constat ex corpore, & anima rationali, quæ est spiritualis. Doctrinam harum quæstionum breuiter proponimus hoc tractatu quæstionibus, quarum tituli videri possunt in indice initio proposito.

QVÆSTIO CCLXVII.

Virum mundus gubernetur ab aliquo vno, & ad quem finem ordinetur: ac virum effectus gubernationis sint conseruatio rerum in bono, earumque motio ad bonum?

Quæst. 103. art. 1. 2. 3. 4.

1. **Q**uæstione 103. art. 1. Sanctus Thomas quærit, vtrum mundus gubernetur ab aliquo.

Respondet affirmatiuè contra aliquos antiquos philosophos, qui dixerunt omnia agi fortuito, ac proinde sine rectore, & gubernatore. At mundum ab aliquo gubernari probatur primò ex Scriptura. Nam Sap. 14. dicitur. *Tu autem Pater gubernas omnia prouidentia*. Confirmatur ex Boetio, qui lib. 3. de consolatio. metro 9. dicit. *O qui perpetua mundum ratione gubernas*.

2. Probatur secundo ratione desumpta ex rebus ipsis, earumque ordine. Quando enim aliqua ita fiunt, & ordinantur, ut est melius, evidens est, quod ab aliquo sapiente gubernatore fiunt, & ordinantur: ex. gr. quia domus ita fit, & ordinatur, ut est melius ad finem commodæ habitationis, evidens est, quod ab aliquo sapiente architecto fit, & ordinatur: sed res naturales semper, aut plerumque ita fiunt, & ordinantur, ut melius est ad suas operationes exercendas: oculi enim ita fiunt,

ut

ut melius est ad videndum, aures ut melius est ad audiendum, pedes ut melius est ad ambulandum, alæ in auibus, ut melius est ad volandum, ac omnia animalium membra disponuntur mirabili quadam proportionem, & pulchritudine: idem dic proportionaliter de plantis, & à fortiori de ipso vniuerso: ergo. Confirmatur: ut enim dicit Aristoteles lib. 12. metaph. 1. 52. relatus à Tullio lib. 2. de natura Deorum: si quis intraret domum bene ordinatam, ex ipso domus ordine, sapientiam, ordinantis animaduertit: sed mundus est veluti magna domus optimè ordinata: ergo ordinatur à sapientissimo gubernatore. Videri possunt quæ de hoc puncto dixi supra quæst. 16. num. præsertim 20.

3. Probat tertio ratione desumpta ex bonitate diuina: Sicut enim Deus propter summam suam bonitatem produxit res bene se habentes iuxta earum naturam, sic illas debet perducere ad suam perfectionem: sed perfectio vniuscuiusque rei consistit in hoc, ut consequatur suum finem: ergo Deus propter suam bonitatem debet res perducere ad suum finem consequendum: sed perducere res ad suos fines est gubernare: ergo.

4. Quæritur secundo, vtrum in mundo gubernentur etiam res ratione, & cognitione carentes?

Respondet affirmatiuè Sanctus Thomas in respons. ad 1. Probat: nam etiam res ratione, & cognitione carentes mouentur, & perducuntur ad suos fines per media proportionata: ex. gr. plantæ mouentur, & perducuntur ad suos fines se nutriendi, augendi, ac generandi sibi simile per media proportionata: sed hoc est gubernari: ergo.

5. Aduertit primo Sanctus Thomas in resp. ad 1. quod aliter operantur propter finem creaturæ rationales, & intellectuales, aliter irracionales. Creaturæ rationales cognoscunt finem, & media, ac proportionem mediorum ad finem, & finem intendunt, ac per rationem ordinant media ad finem, adeoque se ipsas agunt, & mouent ad finem. At creaturæ irracionales non cognoscunt finem sub ratione finis, & proportionem mediorum ad finem, ideoque non tam se ipsas mouent ad finem, quam mouentur ad finem. A fortiori creaturæ cognitione carentes, quæ proinde nullo modo cognoscunt finem, non se mouent ad finem, sed mouentur ad finem, & operantur propter finem, ut ab aliquo alio adæ, & directæ ad finem, sicut sagitta mouetur directæ ad signum à sagittario, qui cognoscit finem, & signum, ad quod sagittam dirigit. Concludit Sanctus Thomas: Sicut motus sagittæ ad determinatum finem demonstrat aperte, quod sagitta dirigitur ab aliquo cognoscente, ita certus cursus rerum naturalium cognitione carentium manifestè declarat mundum ratione aliqua gubernari.

6. Aduertit secundo in resp. ad 2. quod in mundo præter ea, quæ spectant ad mo-

tum, & operationem, datur etiam aliquid stabile, & permanens, saltem materia prima, & quod etiam stabilia indigent gubernatione, qua conseruentur in sua stabilitate, siquidem sicut sunt ex nihilo, sic reciderent in nihilum, nisi manu gubernatoris conseruentur, ut cum Sancto Thoma quæst. 174. artic. 2. dicemus quæst. 279. vbi ostendimus, quod ipsa rerum stabilitas, conseruatio, & permanentia in esse, est effectus diuinæ gubernationis.

7. Aduertit tertio in resp. ad 3. quod sicut necessitas, qua sagitta agitur ad certum scopum, & finem, est impressio sagittantis, non autem sagittæ, sic necessitas naturalis inherens rebus, quæ determinatur ad vnum, est impressio quadam Dei dirigentis ad determinatum finem. Sed istæ duæ necessitates differunt in hoc, quod necessitas rebus impressa à Deo est ipsa rerum natura, ideoque est necessitas naturalis: necessitas autem sagittæ impressa à sagittario est præter naturam sagittæ, ideoque est violenta. At conueniunt in hoc, quod sicut necessitas violentiæ in motu sagittæ demonstrat sagittantis directionem, ita necessitas naturalis creaturarum demonstrat diuinæ prouidentie gubernationem.

8. Articulo secundo quærit, vtrum finis gubernationis mundi sit aliquid extra mundum?

Respondet affirmatiuè. Probat primo ex Scriptura. Nam Prouerb. 16. dicitur: *Vniuersa propter se operatus est Dominus*; sed Deus non est pars mundi, ut dictum est quæst. 21. num. 16. ergo finis gubernationis diuinæ est aliquid, quod non est pars mundi.

9. Probat secundo ratione. Nam finis debet ita respondere principio, ut idem sit principium, & finis omnium rerum creatarum, & factarum: sed principium omnium rerum creatarum, & factarum, ac totius vniuersitatis creatæ est aliquid extrinsecum tali vniuersitati, hoc est Deus, qui non est creatus, neque factus, sed est à se, ut cum Sancto Thoma quæst. 15. artic. 4. diximus quæst. 16. & cum eodem quæst. 44. artic. 1. & 2. diximus quæst. 111. ergo etiam finis vniuersitatis creatæ est extrinsecus tali vniuersitati. Probat maior: nam sicut finis particularis cuiuslibet rei est aliquid bonum particulare, sic finis vniuersalis omnium rerum creatarum est bonum vniuersale: sed solus Deus, qui est principium omnium rerum creatarum, & factarum, est bonum vniuersale: ergo solus Deus, qui est principium omnium rerum creatarum, & factarum, est finis earum. Probat minor: nam ens à se est ens per essentiam, & omnino illimitatum, ac proinde est etiam bonum per essentiam, & illimitatum, & est bonum vniuersale, ut dictum est quæst. 18. Entia autem ab alio sunt entia participata, ac limitata, ac proinde sunt bona particularia.

10. Debet aduerti primo, quod bonum possumus consequi multipliciter. Primo possumus consequi bonum vt formam intrinsecam: ex. gr. possumus consequi sanitatem, vel scientiam, vt formam nobis intrinsecam. Secundo possumus consequi bonum, vt aliquid extrinsecum, & à nobis operatum: ex. gr. edificator consequitur bonum domus, vt aliquid extrinsecum ab ipso operatum per artem edificatoriam. Tertio possumus consequi bonum, vt aliquid extrinsecum à nobis possessum & habitum: ex. gr. emptor consequitur agrum, vt bonum extrinsecum ab ipso possessum, & habitum. Quia, ergo bonum est finis, ideo Deus, licet non sit bonum intrinsecum, sed extrinsecum mundo, potest esse finis mundi. Et quidem non est finis mundi, vt aliquid operatum, sed solum vt bonum habitum, participatum, & representatum à mundo. Nam etiam quod representatur, dicitur finis, eo pacto, quo Cæsar dicitur finis imaginis representantis Cæsarem. Aristoteles 1. Ethic. cap. 1. dicens, quod finis, vel est opus, vel operatio, loquitur solum de finibus artium actiuarum, & factiuarum. Artes enim actiuæ habent pro fine ipsam operationem, eo pacto, quo citharistica habet pro fine ipsam actionem citharizandi. Artes factiuæ habent pro fine opus, vel operatum distinctum ab operatione, eo pacto, quo statuaria habet pro fine ipsam statuum. At non repugnat, vt mundus habeat pro fine Deum, non quidem vt operationem, aut opus mundi, sed vt bonum habitum, participatum, & representatum à mundo. Demum licet finis multitudinis sit ordo, & pax, quæ est tranquillitas ordinis, vt docet Augustinus lib. 19. de Ciuitate, cap. 13. ac proinde finis intrinsecus mundi sit ordo ipsius vniuersi, tamen talis ordo non est vltimus finis mundi, cum ordinetur ad Deum participandum, & representandum, ac proinde ordinetur ad bonum extrinsecum vt habitum, participatum, & representatum. Vide Sanctum Thomam in tribus argumentis, eorumque solutionibus.

11. Articulo tertio quærit, vtrum mundus gubernetur ab vno?

Respondet affirmatiue. Probat: nam cum finis gubernationis mundi sit bonum vniuersale, quod est essentialiter bonum, ac proinde optimum, vt dictum est numero 9. gubernatio mundi debet esse optima: sed optima gubernatio debet esse ab vno: ergo. Probat minor: nam gubernatio est directio rerum gubernatarum ad finem, & bonum, ac proinde gubernatio mundi est directio mundi, ad finem, & bonum mundi: sed bonum rerum consistit etiam in earum vnitatem, ideoque vnaquæque res, sicut appetit suum bonum, ita appetit suam vnitatem, ac refugit suam diuisionem, illique naturaliter repugnat, ac bonum multitudinis consistit in eius pace, & vnitatem: ergo optima gubernatio

est, quæ est aptissima ad vnitatem gubernatorum: sed quod est maximè vnum est maximè aptum ad vniendum alia: ergo quod est maximè vnum est maximè aptum ad optimam gubernationem, ideoque plures gubernantes, vt benè gubernent, debent esse maximè concordēs, & vnitati: ergo à primo ad vltimum gubernatio mundi debet esse à gubernatore maximè vno, hoc est à Deo. Hæc ratio desumpta est ex Aristotele lib. 12. Metaphys. in fine, vbi librum concludit dicens, *Entia nolunt malè gubernari: non est bonum pluralitas principatum: vnus ergo princeps*, & ex Boetio lib. 3. de Consolat. Prosa 11. Videri etiam possunt quæ dixi supra, quæst. 17. de vnitatem Dei. Apostolus etiam 1. ad Corinth. 8. dicit. *Nobis est vnus Deus Pater, & Dominus vnus*. Ad dominum autem pertinet gubernatio subditorum.

12. Licet vnus sit gubernator mundi dirigens vniuersitatem ad suum finem, & bonum, tamen quia ad bonum, & perfectionem vniuersi requiritur diuersitas mobilium, & motuum, gubernator mundi ponit in mundo diuersa mobilia, ac diuersos motus, ideoque in mundo quædam mouentur, & operantur necessario, quædam contingenter. Contraria etiam licet habeant contrarios fines proximos, conueniunt tamen in vltimo fine, quod est bonum vniuersi. Demum licet in particularibus bonis duo sint meliora vno, iuxta illud Ecclesiast. 4. *Melius est esse duos, quam vnum*, tamen quod est à se bonum, cum contineat omne bonum, debet esse vnum tantum, & incapax, vt illi addatur vlla bonitas.

13. Articulo quarto quærit, vtrum effectus gubernationis sit vnus tantum, an potius sint plures?

Respondet, quod effectus gubernationis aliquo pacto est vnus, aliquo pacto sunt plures, aliquo pacto sunt innumerabiles. Probat, & explicatur. Finis gubernationis est perductio rerum ad suum finem, qui finis est Deus, seu bonum perfectum, & essentialiter participabile à creaturis per assimilationem: ergo ex parte finis vnus est effectus gubernationis, nimirum assimilatio, & participatio Dei tummi boni: sed creatura assimilatur summo bono quoad duo, nimirum in quantum Deus est bonus, & in quantum Deus alijs est causa bonitatis: ergo effectus gubernationis secundum ea, quibus ad Dei assimilationem creatura perducitur, est duplex, nimirum conseruatio in bono, quod creatura accipit per creationem, & motio, qua vna creatura mouet aliam ad bonitatem, & perfectionem illi conuenientem. Demum si effectus gubernationis considerentur in particulari, sunt à nobis innumerabiles, siquidem Deus creaturas gubernando, producit innumerabiles effectus, qui tamen reducuntur ad duo genera explicata, nimirum ad conseruationem creaturarum, & ad hoc,

hoc, quod Deus faciat, ut vna creatura moueat aliam ad bonitatem, & perfectionem, illi conuenientem. Potest etiam dici, quod sicut effectus gubernationis, quo Imperator gubernat exercitum, est bonum ordinis, sic effectus gubernationis, qua Deus gubernat mundum, est bonum ordinis; sed ordo mundi consistit in hoc, quod res conseruentur in diuersis gradibus bonitatis, & perfectionis, & quod vna res moueat aliam ad suum bonum; ergo effectus gubernationis mundi sunt duo assignati.

QVÆSTIO CCLXXVIII.

Vtrum omnia diuinæ gubernationi subdantur, & gubernentur immediate à Deo?

S. Tho. quæst. 103. artic. 5. 6.

Articulo quinto quærit, vtrum omnia diuinæ gubernationi subdantur.

Respondet affirmatiuè, iuxta illud S. Augustini lib. 5. de Ciuit. cap. 11. *Deus non solum celum, & terram, nec solum hominem, & Angelum, sed nec exigui, & contemptibilis animantis viscera, nec auis pinnulam, aut herbe flosculum, nec arboris folium sine suarum partium conuenientia derelinquit.*

2. Probat primo: nam qui dat effectui, debet etiam dare perfectionem, qua benè se habeat, ideoque Patres, qui per generationem dant esse filiis, debent etiam illos per educationem perficere, & curare, ut benè se habeant; sed ut idem Sanctus Thomas docuit quæst. 44. artic. 1. & 3. & nos cum illo quæst. 111. Deus est causa efficiens omnium rerum ab ipso distinctarum, ac proinde dat esse omnibus rebus; ergo debet omnes res perficere, & providere, ut benè se habeant, quod ad gubernantem pertinet, ac proinde Deus gubernat vniuersa, & omnia diuinæ gubernationi subduntur.

3. Probat secundo ex fine. Nam gubernatio debet se extendere ad omnia illa, ad quæ finis gubernationis potest se extendere; sed finis diuinæ gubernationis est ipsa bonitas diuina, ad cuius participationem omnia ordinantur; ergo diuina gubernatio debet extendi ad omnia, ac proinde omnia debent subdi diuinæ gubernationi. Hinc Sanctus Thomas concludit: *Stulta igitur fuit opinio dicentium, quod hæc inferiora corruptibilia, vel etiam singularia, aut etiam res hominum non gubernentur: ex quorum persona dicitur Ecclesiast. 9. Dereliquit dominus terram.*

4. Quæritur primo, in quo sensu Ecclesiast. 9. dicat Sapiens: *Vidi sub Sole nec velocem esse cursum, sed tempus, casumque in omnibus.*

Respondeo, quod per illa verba Sapiens significat in his inferioribus, quæ sub Sole sunt, dari multa fortuita, & casualia, quæ accidunt præter intentionem, & prauisionem causarum inferiorum, licet à prima causa prouideantur, intenduntur, vel permittantur, & ordinentur ad suum finem, ac proinde subdantur prouidentia, & ordinationi primæ causæ, ut ex professo explicauimus in physica quæst. 17.

5. Quæritur secundo, in quo sensu Apostolus 1. ad Corinth. 9. dicat: *Numquid de bobus cura est Deo?*

Respondeo quod Apostolus solum negat Deum de bobus, aliisque rebus ratione carentibus habere illam specialem curam, & prouidentiam, quam habet de creaturis rationalibus, Angelis nimirum, & hominibus, dum eas inducit ad bonum, & retrahit à malo, per præcepta, prohibitiones, poenas, & præmia, sed non negat Deum de bobus, aliisque creaturis irrationalibus habere curam ipsi proportionatam, qua illas dirigit, & ordinat ad suos fines. Licet autem creaturæ rationales gubernent se ipsas per intellectum, & voluntatem, tamen debent etiam gubernari, & regi à suis superioribus, præsertim à Deo per præcepta, consilia, præmia, poenas, & per internos instinctus.

6. Articulo sexto quærit, vtrum omnia gubernentur immediate à Deo?

Respondet in gubernatione duo posse considerari. Primo potest considerari ipsa prouidentia, & ratio existens ab æterno in mente diuina, qua Deus omnia gubernat, disponit, ac ordinat ad suos fines. Secundo potest considerari ipsa executio temporalis, qua Deus in tempore exequitur quæ ab æterno decreuit.

7. Hoc supposito, Sanctus Thomas ponit duas conclusiones. Prima conclusio est: Deus immediate per se ipsum ab æterno in sua mente omnia gubernat, disponit, & ordinat ad suos fines. Probat: nam Deus, cum sit ipsa essentia bonitatis, habet optimum in omni genere; sed optima cognitio practica est, quæ considerat omnia particularia, etiam minima, ac non sinit in solis vniuersalibus, eo pacto, quo optimus medicus est, qui potest considerare circa ægrotum omnia particularia etiam minima; ergo Deus per suam cognitionem practicam considerat omnia particularia etiam minima; sed gubernatio diuina est cognitio practica; ergo Deus per suam gubernationem, seu rationem gubernatiuam ab æterno considerat immediate omnia particularia etiam minima.

8. Secunda conclusio est: Deus in executione gubernat quædam, mediatis alijs. Probat: nam ad gubernationem pertinet res ad perfectionem perducere; ergo tanto melior est gubernatio, quanto maior perfectio rebus gubernatis à gubernante communicatur: sed maior perfectio rerum est, ut non solum

solum sint bonæ in se ipsis, sed etiam alijs sint causa bonitatis: ergo melior gubernatio est, quæ non solum dat rebus bonitatem, sed etiam efficit, vt quædam res sint causa bonitatis alijs rebus: sed diuina gubernatio debet esse optima: ergo Deus ita debet res gubernare, vt quædam res in gubernando constituat causas bonitatis aliarum rerum, sicut si aliquis magister discipulos non solum faceret scientes, sed etiam aliorum doctores. Ideo Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. dicit. Quædammodum corpora grossiora, & inferiora, per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum rationalem, & spiritus vite rationalis deferuntur, atque peccator, per spiritum vite rationalem, pium & iustum, & ille per ipsum Deum.

9. Inferitur, quod iure Gregorius Nyssenus, vel potius Nemæsius Philosophus lib. 8. Philosoph. cap. 3. reprehendit Platonem, qui tres posuit prouidentias, ac docuit primam prouidentiam esse primi Dei, qui prouidet rebus cælestibus, & omnibus vniuersalibus: secundam esse secundorum Deorum, qui cælum circumeunt, & gubernant omnia generabilia, & corruptibilia: tertiam esse quondam demonum, qui versantur circa terram, & sunt custodes actionum humanarum. Hæc opinio rejicitur, quia docet Deum non habere ab æterno rationem, qua in sua mente prouideat omnibus rebus, sed solum, qua prouideat cælestibus, & vniuersalibus.

10. Opponitur: ex Aristotele 8. physic. t. 48. melius est aliquid fieri per vnum, quam per multa, si sit possibile: sed Deus potest per se ipsum absque vllis medijs omnia gubernare: ergo.

Respondeo, distingo maiorem: melius est aliquid fieri per vnum, quam per multa perfectè subordinata illi vni, & ab eo accipientia totam virtutem, nego: non perfectè subordinata illi vni, nec ab eo accipientia totam virtutem, concedo maiorem: concedo minorem: & nego consequentiam. Ad optimam gubernationem spectat, vt reducat ad vnum optimum gubernantem habentem perfectam virtutem gubernandi. Supposito hoc optimo gubernante, melius est, vt etiam alijs communicet virtutem gubernatiuam, quam vt alijs non communicet: ergo supposito, quod gubernatio mundi reducat ad vnum Deum, melius est, vt mundus à Deo gubernetur etiam per causas secundas perfectè subordinatas Deo ab eoque accipientes totam virtutem, quam si gubernetur à solo Deo sine concursu causarum secundarum. Ideo Principes terreni, etiam si possent gubernare sine vllis ministris, tamen deberent vti ministris, quia hoc ipsum pertineret ad ipsorum dignitatem.

Vtrum aliquid possit contingere præter ordinem diuinæ gubernationis, aut possit veniri contra ordinem gubernationis diuinæ?

S. Tho. quest. 103. artic. 7. 8.

1. **A**rticulo septimo quærit, vtrum aliquid possit contingere præter ordinem diuinæ gubernationis?

Respondet negativè. Ratio est, quia eatenus aliquis effectus contingere potest præter ordinem alicuius causæ particularis, quatenus talis causa particularis potest ab alia causa impediri, ne causet effectum, ad quem ordinatur: ex gr. licet virtus nutritiua animalis ordinetur ad digerendum cibum, tamen potest causare contrarium effectum indigestionis, quatenus potest à digestionem impediri ab alia causa, puta à grossitie cibi: sed omnes causæ particulares reducuntur tandem ad vnam causam vniuersalem, quæ est Deus per suam prouidentiam ordinans, ac disponens omnes alias causas, ac proinde non potest ab vlla alia causa impediri ab effectibus intentis, vel permissis: ergo nullus effectus potest causari præter ordinem diuinæ prouidentiae, & gubernationis.

2. Inferitur primo, quod cum aliquid ex vna parte videtur exire ab ordine diuinæ prouidentiae, qui consideratur secundum aliquam causam particularem, necessè est, vt in eundem ordinem relabatur secundum aliam causam particularem: ex gr. cum aliquis peccans exit ab ordine à Deo præscripto per legem iubentem, relabitur in ordinem penarum à Deo præscriptum per legem punientem. Ideo Hester 13. dicitur. Domine Deus rex omnipotens in ditione tua vniuersa sunt posita, nec est, qui tua possit resistere voluntati.

3. Inferitur secundo, quod neque mala, & peccata exeunt omnino ab ordine diuinæ prouidentiae, & gubernationis. Ratio est, quia vt cum Sancto Thoma quest. 44. artic. 3. diximus quest. 123. nihil est totaliter malum, sed quodlibet malum fundatur in bono, ac proinde dicitur malum, quatenus exit ab ordine alicuius boni particularis, non autem quatenus exit ab ordine boni vniuersalis: ergo omne malum potest à Deo permitti propter bonum, & ad bonum ordinari, ac proinde non est extra ordinem diuinæ prouidentiae, & gubernationis permittentis mala propter bonum, & illa ordinantis ad bonum. Si autem aliquid totaliter exiret ab ordine diuinæ prouidentiae, & gubernationis, non posset à Deo permitti, ac proinde totaliter nihil esset, ac non posset esse.

4. Pro-

4. Inferitur tertio, quod quæ dicuntur casualia, sunt casualia respectu alicuius causæ particularis, præter cuius præuisionem, & dispositionem fiunt; non autem respectu Dei, qui sua prouidentia omnia disponit, & ordinat ad suos fines, vt explicatum est in physica quæst. 16. Proportionaliter licet aliqua sint contingentia, quia accidunt præter ordinem alicuius causæ particularis, tamen nihil est ita contingens, vt accidat præter ordinem diuinæ prouidentia, & gubernationis.

5. Articulo octauo quærit, vtrum aliquid possit resistere, & reniti contra ordinem diuinæ prouidentia, & gubernationis.

Respondet ordinem diuinæ prouidentia, & sapientia posse considerari dupliciter. Primo potest considerari ordo vniuersalis existens in mente Dei, quo Deus omnia disponit, & ordinat ad suos fines. Secundo potest considerari ordo particularis à Deo creaturis impressus, quo vnaquæque res ordinatur ad suum finem particularem, puta quo ignis ordinatur ad se conseruandum &c. Hoc supposito, Sanctus Thomas ponit duas conclusiones.

6. Prima conclusio est: nulla res potest reniti, & resistere ordini vniuersali, quo Deus in sua mente omnia disponit, & ordinat ad suos fines. Probat primo: nam Deus sua prouidentia omnia ordinat ad bonum; sed vnaquæque res semper operatur propter bonum: vt enim dicit Dionysius nulla res operatur ex intentione mali, vt mali: ergo vnaquæque res operatur iuxta ordinem præscriptum à diuina prouidentia. Probat secundo: nam omnis inclinatio naturalis, aut voluntaria creaturæ ad aliquid, est illi impressa à Deo, eo pacto, quo inclinatio sagittæ ad scopum, est illi impressa à sagittario; sed creaturæ dum operantur, operantur iuxta aliquam suam inclinationem: ergo operantur iuxta inclinationem impressam à Deo, ac proinde iuxta ordinem vniuersalem diuinæ prouidentia. Hinc sequitur, quod quæ aguntur naturaliter, aut voluntariè, quasi propria sponte perueniunt ad id, ad quod diuinitus ordinantur, & ideo dicitur Deus disponere omnia suauiter. Ratio est, quia ipsa inclinatio naturalis, & voluntaria est rebus impressa à Deo: ergo cum Deus moueat, disponat, & perducatur res ad suos fines per inclinationes naturales, aut voluntarias, disponit res suauiter. Ideo Boetius lib. 3. de Consolat. Prosa 3. dicit. *Non est aliquid, quod summo huic bono, vel velit, vel possit obistere.* Et Sap. 8. de Deo summo bono dicitur. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.*

7. Secunda conclusio est: potest aliqua res resistere, ac reniti ordini particulari, quo res aliqua creaturæ ordinantur ad aliquod suum bonum particulare. Probatur: nam res corruptibiles ordinantur ad bonum particulare conseruandi se ipsas: ergo dum agentia fortiora quasdam res impugnant, corrumpunt,

& destruunt, resistunt, & renituntur ordini particulari, quo res illæ ordinantur ad suam conseruationem: e. g. dum aqua extinguit ignem, renititur ordini, quo ignis ordinatur ad suam conseruationem: dum lupus occidit ouem, & comedit, resistit, & renititur ordini, quo ouis appetit conseruari, sed non renititur ordini vniuersali, quo Deus ad bonum vniuersi vult, vt contraria se mutuo impugnent, ac destruant.

8. Dices: Si nulla res resistit ordini diuinæ prouidentia, & gubernationis, in quo sensu dicuntur peccatores cogitare, & loqui contra Deum, iuxta illud Isaia 3. *Lingua eorum, & adinuationes eorum contra Dominum.*

Respondeo, quod peccantes, dum peccant, intendunt aliquod bonum, & operantur secundum inclinationem ad bonum, quæ inclinatio fuit illis impressa à Deo, ac proinde non renituntur ordini diuinæ gubernationis; sed quia operantur contra bonum honestum illis conueniens secundum suam naturam rationalem, & secundum suum statum, dicuntur agere contra Dominum, & ideo iuste puniuntur, siquidem liberè agunt contra obligationem, qua à Deo obligantur ad bonum honestum.

QVÆSTIO CCLXXX.

Vtrum creatura indigeant, vt conseruentur in esse à Deo, ab eoque conseruentur non solum mediata, sed etiam immediata.

S. Th. qu. 104. ar. 1. & 4.

1. **P**ostquam Sanctus Thomas quæst. 103. egit de gubernatione rerum in communi, quæstione 104. & sequentibus descendit ad agendum de effectibus gubernationis in speciali: & quia effectus diuinæ gubernationis reducuntur ad duos, qui sunt conseruatio rerum, & earundem mutatio, quæst. 104. disputat de conseruatione rerum, quæst. 105. & sequentibus agit de earundem mutatione.

2. Articulo igitur primo quærit, vtrum omnes creaturæ indigeant, vt conseruentur à Deo?

Respondet affirmatiuè iuxta illud Apostoli ad Hebr. 1. vbi Deus dicitur: *portans omnia verbo virtutis sue.* Ideo Augustinus lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 12. dicit. *Virtus Dei ab ijs, quæ creata sunt, regendis, si cessaret aliquando, simul & eorum cessaret species, omnisque natura concideret:* & lib. 8. cap. 12. dicit, quod sicut aer, presente lumine, fit lucidus, sic homo, Deo sibi presente, illuminatur, absente autem, continuo tenebratur. Sed quia doctrinam huius articuli satis explicauimus in Philosophia, quæst. vltima, nihil est addendum. Ibi etiam dixi, quod Deus concurrat immediatè ad omnes actiones non

non solum productiuas, sed etiam conseruatiuas rerum, ac proinde in hoc sensu conseruat immediatè omnes res creatas.

3. Articulo secundo quærit, vtrum Deus aliquas creaturas conseruet, mediantibus alijs creaturis.

Respondet, quod vna creatura potest conseruare aliam, tum indirectè, & per accidens, tum directè, & per se. Probatur prima pars. Illud enim dicitur conseruare alterum indirectè, & per accidens, quod remouet, vel impedit actionem corruptentis; sed vna creatura potest remouere, vel impedire actionem corruptentis alteram creaturam, e. g. sal impedit actionem putrefactiuam carnum, & sic conseruat carnes, ne corruptantur; potest aliquis remouendo ignem, impedire ne ignis comburat ligna: ergo. Probatur secunda pars: nam illud dicitur conseruare alterum directè, & per se, à cuius actione alterum dependet secundum esse, eo pacto, quo lux dependet à luminoso, puta à Sole, vel igne: ergo. Concludit Sanctus Thomas, quod Deus conseruat res quasdam in esse, mediantibus aliquibus causis, & quod Astrologi attribuant Saturno, qui est supremus planetarum, res fixas, & permanentes. Aliqua tamen conseruantur à solo Deo, ex gratia quæ sunt à solo Deo: Videri possunt, quæ de hoc puncto dixi in Philosophia quæst. vltima ad 3.

4. Quæritur, an Deus omnia conseruet immediatè, vel aliqua conseruet solum mediatè, e. g. an Deus conseruet immediatè sola corpora cælestia, quæ corpora cælestia per virtutem acceptam à Deo conseruent inferiora, Deo non præstante alium concursum immediatum ad conseruationem inferiorum. Quæstio pendet ab alia quæstione magis vniuersali, vtrum Deus concurrat immediatè ad omnes actiones causarum secundarum. Si enim concurrat immediatè ad omnes actiones primo productiuas rerum, concurrat etiam ad conseruatiuas. Et quia quæst. vltima Philosophiæ diximus Deum concurrere immediatè ad omnes actiones primo productiuas, diximus consequenter Deum concurrere etiam ad actiones conseruatiuas, vt etiam docet Sanctus Thomas qu. 105. ar. 5.

QVAESTIO CCLXXI.

Vtrum Deus possit aliquid in nihilum redigere, ac de facto aliquid in nihilum redigatur?

S. Th. qu. 104. ar. 3. & 4.

1. **A**rticulo tertio quærit, vtrum Deus possit aliquid in nihilum redigere? Respondet, quod iuxta errorem eorum, qui dixerunt, quod Deus res ad extra producit ex necessitate naturæ, sequitur Deum etiã

ex necessitate naturæ res productas conseruare, ac non posse illas in nihilum redigere. Sed quia, vt dictum est supra à Sancto Thoma, quæst. 19. art. 4. & à nobis quæst. 49. de fide est Deum creaturas liberè produxisse, ac potuisse non producere iuxta illud Psal. 113. *Omnia, quaecumque voluit, fecit*, dicendum consequenter Deum liberè res conseruare, ac posse illas in nihilum redigere, subtrahendo actionem conseruatiuam illarum. Ideò Ierem. 10. Deo dicitur. *Corripe me Domine: verumtamen in indico, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.*

2. Addit Sanctus Thomas in respons. ad 1. & 3. quod non esse non habet causam per se; & in hoc sensu Augustinus lib. 83. qu. qu. 21. dicit, quod *Deus non est causa tendendi in non esse*. Potest ergo Deus solum per accidens esse causa, vt res in nihilum redigantur, subtrahendo scilicet suam actionem conseruatiuam, ideoque si Deus rem aliquam redigeret in nihilum, hoc non esset per aliquam actionem, sed per hoc, quod ab agendo cessaret.

3. Articulo quarto quærit, vtrum de facto aliquid in nihilum redigatur.

Respondet negativè iuxta illud Ecclesiast. 3. *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus perseverant in æternum*. Probat: nam si redigerentur in nihilum, vel redigerentur in nihilum naturalitè, ac iuxta cursum naturalem rerum, vel miraculosè, ac Deo operante præter ordinem naturalem rerum: neutro modo rediguntur in nihilum: ergo. Probatur prima pars minoris. Substantiæ creatæ iuxta suam naturam, vel sunt immateriales, vel materiales; si sunt immateriales, non habent potentiam ad non esse, ac proinde sunt incorruptibiles, ac naturalitè non possunt redigi in nihilum. Si sunt materiales, constant ex materia prima ingenerabili, & incorruptibili, ac proinde dum res materiales corruptuntur, naturalitè semper remanet materia prima, & sic non rediguntur in nihilum. Probatur secunda pars. Nam quæ sunt miraculosè, ordinantur ad manifestationem gratiæ, ideoque Apostolus 1. ad Corinth. 12. cum dixisset; *unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*, affert exemplum, in operationibus miraculorum: sed gratia non manifestatur, redigendo res in nihilum, sed illas conseruando, cum per hoc magis appareat diuina omnipotentia, & bonitas: ergo. Licet ergo Deus manifestet suam potentiam, producendo res ex nihilo, tamen redigendo res in nihilum, potius impediret manifestationem suæ potentiæ, quam maximè ostendit, res conseruando, iuxta illud Apostoli ad Hebr. 1. *portans omnia verbo virtutis sue*. Ex infirmitate etiam diuinæ virtutis sequitur, quod aliquæ res in infinitum durent.

4. Quæres: quare formæ, & accidentia, quæ non constant ex materia tanquam ex parte,

parte, cum desinunt esse, non redigantur in nihilum.

Respondet Sanctus Thomas in respons. ad 3., quod non omnino rediguntur in nihilum, non quia aliqua pars eorum remaneat, sed quia remanent in potentia materiæ, vel subiecti.

QVAESTIO CCLXXXII.

Verum Deus possit immediatè mouere materiam ad formam, & possit immediatè mouere aliquod corpus?

5. Th. quæst. 105. ar. 1. & 2.

1. **S**ecundus effectus diuinæ gubernationis est rerum mutatio, & motus, ideoque Sanctus Thomas postquam quæst. 104. egit de conseruatione rerum, quæ est primus effectus gubernationis, quæst. 105. & sequentibus agit de secundo effectû, qui est mutatio, & motus rerum. Et quia Deus potest res mutare, & mouere, tum per se ipsum, tum per alias creaturas, ideo quæst. 105. agit de motu, & mutatione, qua creaturas mouet, & mutat per se ipsum: quæst. 106. & sequentibus de mutatione, & motu, quo vnam creaturam mouet per aliam.

2. Articulo igitur primo quærit, vtrum Deus possit immediatè mouere materiam ad formam?

Respondet affirmatiuè. Probat: nam potentia passiuâ potest reduci in actum à potentia actiua, quæ eam continet sub sua potestate: sed materia est potentia passiuâ ad formam, quæ est actus materiæ, Deus autem est potentia actiua, & cum materiam produxerit, continet materiam in sua potestate: ergo Deus potest materiam reducere ad suam formam, & actum: sed reducere materiam ad suam formam, & actum, est mouere materiam ad formam: ergo Deus potest mouere materiam ad formam. De facto autem dum vt narratur Gen. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ*, mouit materiam ad formam hominis.

3. Addit primo Sanctus Thomas in resp. ad 1. quod quia Deus licet non constet ex materia, & forma, tamen continet eminenter tum materiam, tum omnes formas, tum quodlibet compositum, ideo sicut compositum generans potest materiam mouere ad formam, generando sibi simile, ita & Deus potest immediatè mouere materiam ad quamlibet formam. E conuerso aliæ formæ non existentes in materia non possunt mouere materiam ad formam, quia materia non continetur in virtute alicuius creaturæ substantiæ separatæ. Et ideo daemones, & Angeli operantur circa hæc visibilia, non quidem imprimendo formas, sed adhibendo corporalia semina. Videri

possunt quæ de hoc puncto dicta sunt supra, quæst. 203.

4. Addit secundo in respons. ad 2. & 3. quod licet Deus sit agens vniuersalissimum, tamen quia ad extra liberè operatur per intellectum, & voluntatem, & cognoscens formas secundum omnes rationes específicas, & indiuiduales, potest determinatè hanc, vel illam formam ad nutum prout voluerit materiæ imprimere. Quia verò causas secundas ordinat ad producendos determinatos effectus, potest etiam determinatos effectus producere per se ipsum sine quocumque alio.

5. Articulo secundo quærit, vtrum Deus possit immediatè mouere aliquod corpus?

Respondet, quod erroneum est dicere Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui sunt per quamcumque causam creatam. Vnde cum corpora moueantur immediatè à causis creatis, nulli debet venire in mentem, quin Deus possit mouere immediatè quodcumque corpus.

6. Probat: nam omnis motus corporis, vel consequitur formam, eo pacto, quo motus grauium, & leuium consequitur formam illis impressam à generante, vel est via, & dispositio ad formam, eo pacto, quo calefactio est via, & dispositio ad formam ignis: sed agens, quod formam imprimit, potest materiam disponere ad formam, & potest dare motum, qui consequitur formam: Ex: gr: ignis, qui potest generare ignem, potest calefaciendo materiam disponere ad formam ignis, & ignem genitum sursum mouere, ideoque motus grauium, & leuium tribuitur generanti: ergo Deus, qui vt dictum est num. 2. potest materiæ immediatè imprimere quamlibet formam, potest etiam quodcumque corpus mouere quolibet motu. Licet autem, vt docet Aristoteles 7. physic. text. 9., & sequentibus mouens, & motum debeant esse simul, ac proinde mouens debeat tangere motum, tamen non requiritur, vt mouens tangat motum contactu corporali, sed sufficit, vt illud tangat contactu virtuali: Deus autem quamlibet creaturam tangit contactu virtuali, licet à nulla creatura tangatur, quia nullius creaturæ virtus naturalis potest ad ipsum pertingere, ideoque Dionysius cap. 1. de diu. nominibus dixit, quod *Dei non est aliquis tactus*, passiuus nimirum, quo tangatur, & patiatur ipse Deus, licet possit dari tactus actiuus, quo Deus tangat creaturas, atque in eas agat. Rursus licet Deus moueat vt obiectum desideratum, & intellectum, tamen non est necesse, vt moueat tanquam desideratum & intellectum à mobili, sed sufficit, vt moueat tanquam desideratum, & intellectum ab aliquo, vel etiam à se ipso: ergo licet Deus non possit desiderari, & intelligi à corporibus mobilibus, tamen vt amatus, & intellectus à se ipso,

ipso, potest mouere, ac de facto mouet corpora, siquidem omnia operatur propter suam bonitatem. Demum quamuis ex Aristotele lib. 8. physic. text. 79. virtus motiua infinita existens in magnitudine non posset mouere in vilo tempore determinato, ac proinde deberet mouere in non tempore, seu in instanti, tamen Deus, qui habet virtutem infinitam, sed non in magnitudine, sed in intellectu, & mouet per intellectum, & voluntatem, mouet prout conuenit mobilibus: & quia mobilibus corporeis conuenit moueri tempore determinato, mouet tempore determinato, ac determinata velocitate.

QVAESTIO CCLXXXIII.

Virum Deus possit mouere, & actu moueat immediatè intellectum, & voluntatem creatam?

S. Tho. quæst. 105. artic. 2. 3.

1. **A**rticulo tertio quærit, virum Deus moueat immediatè intellectum creatum?

Respondet affirmatiuè. Probat: nam sicut illud dicitur mouere corpus, quod dat illi formam, quæ est principium motus, sic illud dicitur mouere intellectum, quod dat intellectui formam, quæ est principium operationis intellectiue, quæ operatio dicitur motus intellectualis: sed Deus dat cuilibet intellectui creato formam, quæ est principium operationis intellectiue: ergo. Probatur, & explicatur minor. Nam in creato intelligente duplex est principium operationis intellectiue. Primum est ipsa virtus intelligendi, quæ datur etiam in intelligente solum in potentia, quod se habet sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptum: secundum est principium intelligendi in actu, hoc est ipsa similitudo, ac species intentionalis rei intellectæ, per quam intelligens constituitur velut tabula scripta: sed Deus dat intellectui creato vtrumque principium intelligendi, nimirum virtutem intellectualem, & similitudinem, seu speciem intentionalem: ergo. Probatur minor: ex dictis enim supra quæst. 22. & 42. Deus est primum ens immaterialis: & quia intellectualitas sequitur immaterialitatem, est primum intelligens: & quia primum est causa reliquorum, Deus est principium, & causa cuiuslibet virtutis intellectiue. Rursus Deus est primum ens, & prima causa, in qua præexistunt omnia alia entia, sed quæ præexistunt in Deo, præexistunt secundum modum diuinum, hoc est intelligibilitèr, & intentionalitèr: ergo in Deo omnia primo præexistunt intelligibilitèr, & intentionalitèr, ac omnes species, & rationes intelligibiles, & intentionales, quæ dantur in creaturis, emanant, & effluunt à

Deo, ac proinde Deus dat cuilibet intellectui creato vtrumque principium intelligendi, & sic mouet ad intelligendum quemlibet intellectum creatum, tum in quantum dat illi omnem virtutem intelligendi naturalem, & supernaturalem, tum in quantum imprimit illi species intelligibiles, ac tum virtutem intelligendi, tum species intelligibiles conseruat in esse. Ideo Psal. 93. de Deo dicitur, quod docet hominem scientiam. Licet igitur actio creata intelligendi, vtpotè vitalis, sit ab intelligente creato, tanquam à causa secunda, tamen simul est etiam à Deo, tanquam à causa prima, quæ intellectui creato dat, vt possit intelligere. Rursus lumen intellectuale creatum, & species intelligibilis, seu similitudo rei intellectæ sunt principium intelligendi sufficiens, sed secundarium, & à Deo dependens tanquam à principio primario. Demum licet Deus moueat intellectum creatum per species, seu similitudines illi impressas, tamen tales similitudines non sufficiunt ad Deum cognoscendum per essentiam, & prout est in se, vt cum Sancto Thoma quæst. 12. artic. 2. diximus quæst. 30.

2. Articulo quarto quærit, virum Deus possit mouere voluntatem creatam?

Respondet, quod sicut ex dictis num. 1. intellectus mouetur, tum ab obiecto, tum ab eo, qui dat illi virtutem intelligendi, sic voluntas mouetur, tum ab obiecto, quod est bonum, tum ab eo, qui dat illi virtutem volendi. Hoc posito Sanctus Thomas ponit duas conclusiones.

3. Prima conclusio est. Voluntas moueri potest à quocumque bono, tanquam ab obiecto, sed à solo Deo potest moueri sufficientèr, efficacitèr, & adæquatè.

4. Probatur: nam illa solum virtus actiua potest sufficientèr, efficacitèr, & adæquatè mouere aliquod mobile, quæ potest adæquare virtutem passiuam, & inclinationem talis mobilis: sed solus Deus potest adæquare virtutem passiuam, & inclinationem voluntatis: ergo, &c. Probatur minor: nam virtus passiuæ, & inclinatio voluntatis est ad bonum vniuersale continens omnia bona, ac proinde est ad omne bonum: ergo. Confirmatur: nam illud solum bonum potest sufficientèr, & adæquatè mouere voluntatem, quod potest illam sufficientèr, & adæquatè quietare: sed solus Deus potest sufficientèr, & adæquatè quietare voluntatem: ergo.

5. Secunda conclusio est: solus Deus potest mouere voluntatem, dando illi virtutem volendi, & interiorius illam inclinando.

Probatur: nam velle est quedam inclinatio ad bonum vniuersale, ac proinde ille, solum potest dare virtutem volendi, qui potest inclinare ad bonum vniuersale: sed solum primum mouens, hoc est Deus, cui proportionalitèr respondet vltimus finis, potest inclinare ad bonum vniuersale: ergo solus Deus potest

potest dare virtutem volendi, & inclinare voluntatem, ac proinde solus Deus potest mouere voluntatem, dando illi virtutem volendi, & interius illam inclinando. Videri possunt quæ dicta sunt supra quæst. 194. ubi examinauimus, vtrum, & quo pacto vnus Angelus possit mouere voluntatem alterius?

6. Licet Deus, qui est creaturæ extrinsecus, moueat etiam efficaciter voluntatem creaturæ, tamen vt docet Sanctus Thomas in respons. ad 1. non cogit creaturam. Ratio est, quia tunc solum illud, quod mouetur ab altero, dicitur cogi, cum mouetur contra propriam inclinationem; si autem moueatur ab alio dante illi propriam inclinationem, non cogitur, eo pacto, quo lapis, dum à generante mouetur deorsum secundum inclinationem grauitatis illi datæ ab eodem generante, non cogitur: sed Deus mouet voluntatem secundum propriam inclinationem ad bonum, quæ inclinatio datur voluntati ab ipso Deo: ergo Deus à voluntate non cogitur. Rursus velle, cum sit actus vitalis, est moueri à se ipso, ac proinde moueri ab intrinseco: sed quia ipsum moueri ab intrinseco voluntas habet à Deo, tanquam à principio extrinseco, non repugnat, quod voluntas ad volendum moueatur à se ipsa, & à Deo, à principio intrinseco, & à principio extrinseco. Quia verò voluntas creata ita mouetur ab alio, vt moueatur etiam liberè à se ipsa, ideo motus voluntarij imputantur creatæ voluntati ad meritum, & demeritum.

QUESTIO CCLXXXIV.

Vtrum Deus operetur in omni operante, & possit facere aliquid præter ordinem rebus inditum?

S. Tho. quæst. 105. artic. 5. & 6.

1. **A**rticulo quinto quærit, vtrum Deus operetur in omni operante?

Respondet affirmatiuè iuxta illud Isai. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Aliqui existimarunt ita Deum operari in omni operante, vt nulla virtus creata aliquid operetur in rebus, sed solus Deus immediate omnia operetur, ita vt ignis ex. gr. non calefaciat, nec producat calorem, idemque dic de alijs.

2. Reijcit Sanctus Thomas hunc errorem multipliciter. Primo enim optimum in vniuerso est ordo rerum. Licet enim singula seorsim sint bona, tamen omnia simul sunt optima propter ordinem, quem habent ad inuicem: sed præcipuus ordo est causæ, & causati, ac per actiones, & passionem, dum superiora communicant inferioribus ea, quibus superiora abundant, inferiora indigent:

ergo dum subtrahuntur actiones creaturarum, subtrahitur ab vniuerso optimum, idest ordo rerum. Per hoc autem derogatur diuinæ potentie, & bonitati. Ad diuinam enim potentiam pertinet, vt effectibus suis det virtutem agendi; & cum bonum sit diffusiuum, & communicatiuum sui, ad diuinam bonitatem spectat, vt diffundat suam bonitatem in creaturas, per quam possint bonum communicare suis effectibus.

3. Secundo frustra est virtus operatiua, quæ non reducitur ad actum: ergo frustra darentur in rebus virtutes operatiuæ, si nunquam operarentur. Immo ipsæ creaturæ essent frustra. Vnaquæque enim res est propter suam operationem, tanquam propter finem, quo ultimo perficitur; imperfectum autem est propter suam ultimam perfectionem: ergo si creaturæ nunquam operarentur, non consequerentur suum finem, & sic essent frustra. Confirmatur: nam sicut materia est propter formam, ac proinde materia, si careret omni forma, esset frustra, sic forma, quæ est actus primus, est propter suam operationem, quæ est actus secundus, & sic frustra esset, si careret propria operatione. Sed de hoc puncto fusius egi in philosophia lib. 4. qu. 18. examinans, vtrum creaturæ sint causæ efficientes aliquorum effectuum?

4. Hoc supposito, explicandum est, quo pacto Deus ita operetur in rebus, vt ipsæ res propriam habeant operationem.

Vt hoc explicetur, præmittendum est, quod cum sint quatuor genera causarum, materia non est principium actionis, sed se habet vt subiectum recipiens effectum actionis: tres autem aliæ causæ, nimirum finis, agens, & forma, sunt principium actionis, sed ordine quodam. Nam primum principium est finis, qui mouet agentem ad operandum. Secundum est ipse agens. Tertium est forma eius, quod ab agente applicatur ad agendum. Ex. gr. cum artifex secat lignum ad faciendum scamnum, finis est scamnum, in quantum apprehenditur vt bonum, & mouet artificem ad agendum: artifex est agens secans scamnum: forma autem securis, per quam ferrum est dentatum, est etiam principium secandi, ac ipsa etiam forma, seu idea operis existens in mente artificis est principium operis.

5. Hoc præmisso, docet Sanctus Thomas Deum in quolibet operante operari, tum secundum rationem finis, ita vt sit causa finalis cuiuslibet operationis, tum secundum rationem formæ. Primo ergo Deus habet rationem finis respectu cuiuslibet operationis. Omne enim agens operatur propter bonum verum, vel apparens: sed omne bonum verum, vel apparens est tale per hoc, quod participet aliquam similitudinem summi boni, quod est Deus: ergo Deus vt participatus à quolibet bono est finis cuiuslibet operationis.

tionis. Secundo Deus est primum principium actuum, in cuius virtute agunt omnia agentia secunda, & inferiora; ergo est causa omnium actionum, quibus agunt agentia inferiora. Tertio agentia inferiora aliquando solum applicant formas aliorum agentium ad operandum, sed agentibus non dant tales formas: ex. gr. artifex creatus applicat formam securi ad secandum, sed non dat securi formam, qua secat: at Deus non solum applicat formas agentium creatorum ad operandum, puta formam ignis ad calefaciendum, sed etiam dat, & conseruat in agentibus formas, per quas operantur: ergo operatur in quolibet operante etiam ut dans, & conseruans formam, per quam operatur: & quia forma, & esse est maximè intimum rebus, Deus in quantum dat rebus formam, & esse, per quod operantur, operatur intimè in rebus. Ideo in sacra Scriptura operationes tribuuntur Deo, ut operanti in ipsis rerum naturis, iuxta illud Iob. 10. ubi Deo loquens dicit. *Pelle, & carne vestisti me, ossibus, & nervis compregisti me &c.* Videri possunt, quæ dixi in philosophia quæst. vltima examinans, vtrum Deus concurrat immediatè ad conseruationem, & ad omnes actiones causarum secundarum?

6. Ex eo, quod Deus sufficienter operetur in omni operante, non sequitur, quod sit superflua operatio creaturæ. Nam Deus operatur sufficienter in ratione primi agentis, ac proinde ita attemperat suum concursum, ut non excludat operationem agentium secundarum, sed faciat etiam operari agentia secunda. Licet autem, vna operatio non possit procedere à pluribus agentibus eiusdem ordinis, tamen potest procedere à pluribus agentibus diuersi ordinis, ac proinde à primo, & secundo agente.

7. Articulo sexto quærit, vtrum Deus possit facere aliquid præter ordinem rebus inditum?

Ut respondeat, præmittit, quod quia causa est principium suorum effectuum, quælibet causa fundat aliquem ordinem ad suos effectus, ideoque ordines multiplicantur secundum multiplicationem causarum. Quia verò vna causa continetur sub altera, illique subordinatur, ideo vnus ordo continetur sub altero, illique subordinatur, ac causa inferior subordinatur ordini causæ superioris, non autem e conuerso. Explicatur exemplo desumpto ex humanis. Nam ordo domus dependet ex Patrefamilias, qui est veluti principium domus. Et quia domus continetur in ciuitate, ordo familiæ subordinatur ordini ciuitatis, qui dependet ex Rectore, seu gubernatore ciuitatis. Quia rursus ciuitas continetur in regno, ordo ciuitatis subordinatur ordini regni, qui dependet à rege.

8. Hoc præmissis, Sanctus Thomas ponit duas conclusiones. Prima conclusio est: Deus

non potest facere contra ordinem rerum, prout dependet à prima causa. Probatur: nam cum Deus sit ipsa prima causa, si faceret contra ordinem rerum, prout talis ordo dependet à prima causa, faceret contra ordinem præscriptum à se ipso, & à sua sapientia, quod est absurdum.

9. Secunda conclusio est: Deus potest facere præter ordinem rerum, prout dependet à causis secundis. Probatur: nam Deus non est subiectus ordini causarum secundarum, sed ordo causarum secundarum est subiectus Deo, ab eoque dependet, & procedit, non ex necessitate naturæ, sed ex arbitrio voluntatis: ergo potest agere præter ordinem causarum secundarum, & potuisset alium ordinem instituere. Ex. gr. ordo causarum secundarum exigebat, ut ignis in fornace Babylonica combureret tres pueros, & tamen Deus præter talem ordinem noluit, & fecit, ut non combureret. Causæ secundæ exigunt concurrere ad suos effectus, & tamen Deus potest producere tales effectus sine concursu causarum secundarum. Potest etiam Deus producere aliquos effectus, ad quos virtus causarum secundarum non se extendit, ut cum produxit vnionem hypostaticam &c. Hæc doctrina desumpta est ex Augustino, qui lib. 26. contra Faustum cap. 3. dicit, quod Deus contra solitum naturæ facit, sed contra summam legem nullo modo facit, quia contra se ipsum non facit.

10. Quæritur primo, vtrum cum Deus facit præter ordinem rerum, operetur contra naturam?

Respondet negatiuè Sanctus Thomas in respons. ad 1. iuxta illud Augustini lib. 26. contra Faustum, cap. 3. *Deus auctor, & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit.* Probatur, & explicatur. Cum enim aliquid sit præter naturam alicuius rei, si fiat ab agente, quod non dedit illi naturalem inclinationem, & à quo talis inclinatio non pendet, & cui non subordinatur, fit contra naturam: ex. gr. ab homine corpus graue mouetur sursum contra naturam corporis grauis, quia corpus graue non habet ab homine grauitatem, per quam moueatur deorsum. At quod fit præter naturam rei ab agente, quod dedit illi rei naturalem inclinationem, & à quo pendet, & cui subordinatur talis inclinatio, non fit contra naturam: ex. gr. fluxus, & refluxus maris non fit contra naturam maris, quia fit per actionem, & impressionem corporis celestis, à quo pendet, & cui subordinatur natura maris, cuiusque inclinatio ad motum deorsum: sed omnis natura creata pendet à Deo, ac Deo subordinatur quælibet inclinatio, & quilibet ordo creaturarum: ergo quicquid fit præter naturam creatam, eiusque ordinem, non fit contra naturam. Ideo Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 3. dicit quod *id est cuiuslibet rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis motus,*

du, numerus, & ordo naturæ. Ex hac doctrina videtur sequi Deum non posse, creaturis violentiam inferre.

11. Quæritur secundo, *utrum sicut Deus potest facere præter ordinem rebus inditum, sic possit facere præter ordinem iustitiæ.*

Respondet negativè Sanctus Thomas in respons. ad 2. Disparitas est, quia ordo rebus inditus potest considerari, in quantum fundatur in causis secundis: sed Deus potest operari præter ordinem causarum secundarum, cum sit illarum dominus; ergo. At ordo iustitiæ etiam creatæ habet pro regula ipsam legem æternam, quæ est idem cum Deo: sed Deus non potest facere aliquid præter se ipsum, & legem æternam; ergo.

12. Quæritur tertio: quandoquidem Deus ordinem naturæ instituit, quo pacto dum facit aliquid præter ordinem naturæ, non mutatur, & non est sibi ipsi contrarius?

Respondet Sanctus Thomas in respons. ad 3. quod Deus sic rebus certum ordinem indidit, ut sibi reserparit quod ipse aliquando ex causa aliter esset facturus. Vnde cum præter hunc ordinem agit, non mutatur, nec est sibi ipsi contrarius.

QVAESTIO CCLXXXV.

Utum omnia, quæ Deus facit præter ordinem naturalem rerum, sint miracula, & unum miraculum sit maius alio?

S. Tho. quæst. 105. artic. 7. 8.

1. **A**rticulo septimo quærit, *utrum omnia quæ Deus facit præter ordinem naturalem rerum, sint miracula?*

Respondet, quod quia nomen miraculi sumitur ab admiratione, præmittendum est, quid sit admiratio, & ex qua causa oriatur. Admiratio est, cum effectus sunt manifesti, causa autem occulta, ideoque qui videt eclipsim Solis, ignorat autem causam, miratur, ut aduertit Aristoteles lib. 1. metaphysicæ, cap. 2. Et quia causa effectus manifestæ apparentis potest esse ignota uni, alteri autem nota, ideo potest contingere, ut viso tali effectu, unus miretur, alius autem non miretur, eo pacto, quo visa eclipsi Solis, miratur rusticus, quia causam ignorat, astrologus autem non miretur, sed potius valde miraretur, si tempore statuto non fieret eclipsis.

2. Hoc supposito, miraculum dicitur, quasi admiratione plenum, quod scilicet habet causam simpliciter, & omnibus occultam:

& quia causa simpliciter, & omnibus occulta est Deus, cum operatur præter ordinem naturæ, & causarum naturalium nobis notarum, ideo miracula sunt, quæ fiunt a Deo præter ordinem naturæ, & causarum nobis notarum.

3. Inferitur primo creationem mundi, & animarum rationalium, ac iustificationem impij, licet fiant a solo Deo, propriè non esse miracula. Ratio est, quia ut aduertit Sanctus Thomas in respons. ad primum non sunt nata fieri per alias causas, & ita non contingunt præter ordinem naturæ, cum hæc ad facultatem naturæ non pertineant.

4. Quæres, in quo sensu miraculum debeat esse arduum, & insolitum, ac præter facultatem naturæ, & præter spem admirantis proveniens, & quo pacto conditiones istæ conveniant quibusdam miraculis?

Respondet Sanctus Thomas in respons. ad 2. quod arduum dicitur miraculum, non propter dignitatem rei, in qua fit, sed quia excedit facultatem naturæ. Ideo miracula possunt fieri etiam in rebus minimis, puta in restauratione gemmæ, vel vilissimi vasis, in sanatione ægroti. Rursus miraculum debet esse insolitum, non quia non frequenter eveniat, sed quia est præter naturalem consuetudinem. Ideo licet sanatio ægrotorum frequenter eveniret, cum ut narratur Act. 5. infirmi ponebantur in plateis, ut ad umbram Petri sanarentur, tamen illa sanatio erat miraculosa, quia fiebat præter naturalem consuetudinem. Præterea ad miraculum sufficit, ut sit supra facultatem naturæ, vel quoad substantiam, vel quoad modum facti. Ideo cum quis sanatur a febre repente, & instantaneè, licet sanatio illa secundum substantiam non sit supra facultatem naturæ, tamen secundum modum est supra facultatem naturæ, ideoque est miraculosa. Demum ad miraculum sufficit, ut sit supra spem fundatam in natura, non requiritur, ut sit supra spem fundatam in gratia, & in diuina promissione. Et quia resurrectio mortuorum, quam omnes speramus spe fundata in gratia, & diuina promissione, nihilominus erit supra spem fundatam in natura, ideo talis resurrectio erit miraculosa. Addit Sanctus Thomas in respons. ad 3. quod cum admiratio, ex qua desumptum est nomen miraculi, dicitur debere esse de rebus sensui manifestis, quarum causa ignoratur, non asseritur, quod debet esse de rebus sensui manifestis immediate, & secundum se, sed sufficit, ut sit de rebus sensui manifestis, vel immediate, vel mediate per effectus sensibiles. Et quia scientia apostolis infusa, licet non esset manifesta secundum se, manifestabatur tamen ex effectibus sensibilibus, ex quibus mirabilis apparebat, ideo talis scientia erat miraculosa.

5. Articulo octavo quærit, *utrum unum miraculum sit maius alio?*

Respondet, quod cum miraculum dicatur per hoc, quod excedat aliquam potentiam

tiam, & facultatem; nullum autem factum possit excedere potentiam diuinam, vtpotè infinitam, ac respectu cuius quodlibet factum est minimum, iuxta illud Isai. 40. *Ecce gentes, quasi stilla similes, & quasi momentum statera reputate sunt*, miraculum dicitur ex eo, quod excedat potentiam, & facultatem naturæ: sed tripliciter possunt aliqua excedere potentiam, & facultatem naturæ: ergo possunt dari tres gradus miraculorum. Probat, & explicatur minor. Primo enim potest aliquid excedere potentiam, & facultatem naturæ quoad substantiam facti, vt quod duo corpora penetrantur, quod Sol retrocedat, quod corpus humanum glorificetur dotibus gloriosis, quod natura humana vniatur hypostaticè Verbo diuino: & ista miracula tenent primum, & supremum gradum. Secundo potest aliquid excedere facultatem, & potentiam, non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit, vt resuscitatio mortui, & illuminatio cæci. Potest enim natura dare vitam animali, & homini, sed non mortuo, & potest dare visum, sed non cæco: & ista miracula, tenent secundum, & medium gradum. Tertio potest aliquid excedere potentiam, & facultatem naturæ quoad modum, & ordinem, quo fit: e.g. cum ægrotus naturaliter curabilis paulatim, diuina virtute curatur in instanti, talis curatio excedit facultatem naturæ solum secundum modum, quo fit: cum vt narratur 1. Reg. 12. & 18. & 3. Reg. 18. & 45. ad preces Samuelis, & Eliæ aer statim densatus est in nubes, & pluuiam, talis densatio excessit facultatem naturæ quoad modum: & hæc tenent tertium, & infimum gradum miraculorum. Hinc concluditur vnum miraculum posse esse maius alio, quia vnum magis, quam aliud potest excedere facultatem, & potentiam naturæ, ideoque Christus Io. 14. dixit. *Opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.*

De actione creaturæ corporalis.

QVÆSTIO CCLXXXVI.

Vtrum aliquod corpus sit actiuum, & in materia corporali dentur aliquæ rationes seminales?

S. Th. qu. 115. ar. 1. 2.

1. **P**ostquam Sanctus Thomas quæst. 105. egit de mutatione, qua creaturæ mutantur à Deo, & quæst. 106. ac sequentibus vsque ad quæst. 114. inclusiue de mutatione, qua creaturæ mutantur per actiones creaturæ spiritualis, hoc est Angelorum tum bonorum tum malorum quæst. 115. disputat de actione creaturæ corporæ.

2. **A**rticulo igitur primo quærit, vtrum

aliquod corpus sit actiuum?

Respondet affirmatiue iuxta doctrinam Dionysij, qui cap. 2. de cœlesti hierarchia, enumerans proprietates corporei ignis, dicit: *ad susceptas materias manifestat sui ipsius magnitudinem, & actiuus, & patiens.* Sed quia doctrinam huius articuli proposui lib. 4. philosoph. qu. 18. in qua examinaui, vtrum creaturæ sint causæ aliquorum effectuum in argumento 4. 5. 6. 7. & 8. & quæst. 21. & 22. eiusdem libri examinaui vtrum, & quomodo accidentia sint instrumenta in productione substantiæ, & corpora cœlestia sint instrumenta Intelligentiarum mouentium, nihil hoc loco est addendum.

3. **A**rticulo secundo quærit, vtrum in materia corporali sint aliquæ rationes seminales?

Respondet affirmatiue iuxta S. Augustinum, qui lib. 3. de Trinitate cap. 8. dicit, quod *omnium rerum, quæ corporaliter, visibiliterque nascuntur, occulta quadam semina in istis corporeis mundi huius elementis latent.*

4. **V**t explicet hanc doctrinam S. Augustini, aduertit Sanctus Thomas, quod vt docet Aristoteles 2. de anima tex. 49. denominationes sumi solent à perfectiori: & quia corpora viuientia sunt perfectiora reliquis, ideo denominationes corporum solent sumi à corporibus viuientibus: e. g. vt Aristoteles docet lib. 5. metaphys. t. 5. nomen naturæ primo impositum est ad significandam generationem viuientium, quæ dicitur natiuitas. Quia verò viuientia generantur ex principio coniuncto, vt fructus ex arbor, cui coniungitur, & fetus ex matre, cui colligatur, ideo nomen naturæ tractum est ad significandum quodlibet principium motus, quod est in eo, quod mouetur.

5. **H**oc supposito, manifestum est, quod principium actiuum, & passiuum generationis rerum viuientium sunt semina, ex quibus viuientia generantur: sed nomina ex corporibus viuentibus trahi solent ad reliqua corpora: ergo conuenienter Augustinus virtutes actiuas, & passiuas, quæ sunt principia generationum, & motuum naturalium etiam in corporibus non viuentibus, vocauit rationes, ac virtutes seminales. Iste virtutes seminales possunt considerari, in quantum diuerso modo existunt. Primo enim, vt docet Augustinus lib. 6. de Genesi ad litt. cap. 10. & 18. sunt principaliter, & originaliter in essentia diuina, ac in Verbo Dei. Secundo sunt in elementis mundi, sicut in causis vniuersalibus, in quibus simul ab initio productæ sunt. Tertio sunt in iis, quæ ex vniuersalibus causis successiue suis temporibus producantur. Quarto denique, sunt in seminibus, quæ producantur ex animalibus, & plantis. Semina rursus comparantur ad alios effectus particulares, sicut causæ primordiales ad primos effectus producendos.

6. **Q**uæritur primo, quare cum rationes signi-

significent aliquid habens esse spirituale, & intentionale, virtutes seminales, quæ existunt in corporibus solum materialiter, & corporaliter, vocentur rationes?

Respondet Sanctus Thomas in respons. ad 1. quod vocantur rationes per comparationem ad suam originem, siquidem derivantur à rationibus idealibus existentibus spiritualiter in mente diuina, in quibus ideis omnia corpora, & materialia existunt spiritualiter, & intentionaliter.

7. Quæritur secundo, quo pacto verificetur dictum Augustini, qui lib. 3. de Trinit. cap. 8. dicit, quod demones quædam opera faciunt adhibendo quædam semina, quæ in elementis cogoscunt.

Respondet in resp. ad 2. quod quædam virtutes actiue, & passiue sunt in aliquibus partibus corporalibus: demones autem, qui cognoscunt, in quibus partibus corporum existant tales virtutes, dum illas partes corporum adhibent, & applicant per motum localem, dicuntur adhibere, & applicare semina ad quosdam effectus efficiendos.

8. Quæritur tertio, vtrum nomine seminum intelligantur solæ virtutes actiue, an etiam virtutes passiue.

Respondet in resp. ad 3. quod quia non solum semen maris est principium generationis animalis, sed etiam vocatur semen id, quod ex parte foemine concurrat passiuè ad generationem, ideo sub feminibus comprehenduntur non solum virtutes actiue, sed etiam virtutes passiue existentes in corporibus.

9. Quæritur quarto, vtrum rationes seminales sint etiam rationes causales?

Respondet in resp. ad 4. ex verbis Augustini satis inferri, quod sicut semen est quædam causa, sic rationes seminales sunt etiam causales. Augustinus enim lib. 3. de Trinit. cap. 9. dicit, quod sicut matres grauidæ sunt foetibus, sic ipse mundus est grauidus causis nascentium: ergo sicut semina, quibus matres grauidæ sunt foetibus, sunt causæ foetuum, sic semina, quibus mundus est grauidus nascentibus, sunt causæ nascentium, ac proinde rationes seminales sunt etiam causales. Addit rationes ideales existentes in mente Dei esse propriè causales, non autem esse propriè seminales. Ratio est, quia semen est principium non separatum, sed coniunctum effectui: sed rationes ideales existentes in Deo sunt separatæ ab effectibus creatis: ergo licet sint propriè causales, non sunt propriè seminales.

10. Quæritur quinto, in quo sensu miracula dicantur fieri præter rationes seminales?

Respondet in resp. ad 4. quod dicuntur fieri præter virtutes actiuas naturales, & præter virtutes passiuas proportionaliter correspondentes virtutibus actiuis naturalibus, applicando virtutes actiuas naturales suis naturalibus passiuis. At mira, quæ fiunt à dæmo-

nibus, fiunt applicando actiua naturalia suis passiuis, ideoque fiunt per virtutes seminales, & propriè non sunt miracula. At miracula non fiunt præter rationes ideales existentes in mente diuina, nec præter virtutes passiuas creaturis inditas, vt Deus possit ex creaturis facere quod voluerit, quæ virtutes pertinent ad potentiam obedientialem.

QVAESTIO CCLXXXVII.

Vtrum corpora caelestia sint causæ eorum, quæ fiunt in inferioribus, & etiam humanorum actuum, & agant in ipsos demones?

S. Th. quæst. 115. art. 3. 4. & 5.

1. **A**rticulo tertio quærit, vtrum corpora caelestia sint causæ rerum, quæ fiunt in inferioribus.

Respondet affirmatiue. Probat primo auctoritate Augustini, & Dionysii. S. Augustinus enim lib. 3. de Trinit. cap. 4. dicit: Corpora crassiora, & inferiora per subtiliora, & inferiora quodam ordine reguntur: & Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus dicit, quod lumen Solis ad generationem sensibilium corporum confert, & ad vitam ipsam mouet, & nutrit, & auget, & perficit.

2. Probat secundo ratione. Multitudo enim procedit ab vnitatem: sed immobile vno modo se habet, mobile autem se habet pluribus modis, ac proinde immobile se habet ad mobile, sicut vnum ad plura: ergo omnis motus procedit tandem ab aliquo immobili, vt etiam Aristoteles docet 8. physic. t. 45. & 12. metaph. t. 29. ergo ex corporibus, quæ magis sunt immobilia sunt causæ magis mobilium: sed corpora caelestia, cum sint mobilia solum localiter, sunt magis immobilia, quam corpora inferiora, quæ non solum sunt mobilia localiter, sed etiam motibus alterationis, generationis &c. ergo corpora caelestia per suum motum localem, & vniuersalem causant omnes motus varios, & difformes corporum inferiorum. Videri possunt quæ de hoc puncto dixi in philosophia lib. 4. in tract. de celo, quæst. 8. & 9. in quibus examinaui, vtrum celum agat in inferiora per lumen, & influentias, & vtrum motus celestis sit primus motus, & causa cæterorum motuum?

3. Quæritur primo, in quo sensu Damasc. lib. 2. de fide cap. 7. dicat: Nos autem dicimus, quod ipsa nimirum corpora caelestia, non sunt causæ alicuius eorum, quæ corrumpuntur, signa autem sunt magis imbrum, & aeris transmutationis.

Respondet Sanctus Thomas in respons. ad 1. quod quia illi, qui asseriebant corpora caelestia esse Deos, putabant illa esse primas

primas causas generationum, corruptionum, & aliorum effectuum inferiorum, Damascenus hoc negat: at non inficiatur corpora coelestia esse causas secundas inferiorum.

4. Quæritur secundo, quare ad generanda inferiora non sufficiant agentia inferiora præsertim contraria, nimirum, calida, & frigida, qualia sunt elementa?

Respondet in resp. ad 2. quod si inferiora differrent solum per hoc, quod essent calida, vel frigida, qualitates actiue elementorum sufficerent ad generationes inferiorum. Sed quia calor, frigus, aliæque qualitates actiue elementorum sunt solum dispositiones ad formas substantiales corporum, materia autem non sufficit ad agendum, ideo ultra calorem, frigus &c. ponendum est aliud principium actiuum formarum substantialium. Et quidem Platonici posuerunt ideas, seu formas separatas, per quarum participationem inferiora consequerentur formas substantiales. Sed contra hanc sententiam est: nam ideas ponuntur immobiles, ac semper eodem modo se habent: sed idem eodem modo se habens semper facit idem: ergo ideas non possunt esse causæ varietatis generationum, & corruptionum. Ideo Aristoteles lib. 2. de Generat. text. 56. & sequentibus docet præter principium immobile ponendum esse aliquod principium actiuum mobile, quod per suam absentiam, & præsentiam causet varietatem, & vicissitudinem generationum, quod principium mobile est corpus coeleste, ut ex professo explicauimus in philosophia in Tract. de celo, quæst. 9. Ideo quidquid in his inferioribus generatur, & mouet ad speciem, operatur ut instrumentum corporis coelestis, iuxta illud Arist. 2. physic. text. 25. & 26. *Sol, & homo generant hominem.* Hæc autem magis explicauimus in philosophia tum locis citatis, tum in lib. de Gener. quæst. 21. & 22. examinantes, utrum, & quo pacto accidentia sint instrumenta in productione substantiæ; & utrum corpora coelestia sint instrumenta Intelligentiarum mouentium?

5. Quæritur tertio, quo pacto cum agens producat sibi simile, corpora coelestia, quæ non sunt similia corporibus inferioribus, nec cum illis conueniunt in qualitatibus alteratiuis caloris, frigoris &c. sint causæ productiue corporum inferiorum?

Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 3. corpora coelestia esse similia corporibus inferioribus, non similitudine speciei, & vniuersæ, sed æquiuocè, in quantum sua vniuersali virtute continent in se quidquid in inferioribus generatur, secundum quem modum dicimus etiam omnia esse Deo similia.

6. Opponitur ex Augustin. lib. 5. de Ciuit. cap. 6. nihil magis est corporeum, quam corporis sexus: ergo sexus deberet causari à corporibus coelestibus: sed non causatur à corporibus coelestibus, ut patet ex eo, quod quorum geminorum sub vna constellatione

natorum vnus est masculus, alter femina: ergo.

Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 4. easdem constellationes causare diuersos effectus iuxta diuersam dispositionem materiæ: sed aliquando vna pars materiæ est sufficienter disposita ad masculum, alia pars ad feminam: ergo ex vna parte materiæ generatur masculus, ex alia generatur femina. Hinc Augustinus lib. 5. de Ciuit. cap. 6. impugnat diuinationem per astra: siquidem effectus constellationum variantur in corporibus propter diuersam dispositionem materiæ: ergo ex constellationibus non possunt certò diuinari effectus etiam naturales constellationum, puta vtrum sit nasciturus masculus, vel femina.

7. Articulo quarto quærit, vtrum corpora coelestia sint causæ actuum humanorum.

Respondet, quod possunt indirectè, & per accidens, non autem directè, & per se causare actus humanos, ideoque Damasc. lib. 2. de Fide cap. 7. dicit, quod corpora coelestia humanorum actuum nequaquam sunt causa. Ratio est, quia corpora non possunt directè agere in substantias spirituales, qualis est anima rationalis. Doctrinam huius articuli explicauimus in philosophia in Tractatu de celo qu. 8. conclus. 2. ac 3. & 4. argumento, & in eorum responsionibus.

8. Articulo quinto quærit, vtrum corpora coelestia possint agere in demones?

Respondet circa demones fuisse tres præcipuas opiniones. Prima quorundam peripateticorum, qui dixerunt demones non esse, nec aliquid operari, sed ea, quæ tribuuntur demonibus, fieri per artem necromanticam, virtute corporum coelestium. Iuxta hanc opinionem Porphyrius relatus ab Augustino lib. 10. de Ciuitate cap. 11. dixit. *Etiā obseruatis in Cæli conuersione motibus syderum fabricari in terra ab hominibus potestates idoneas varijs effectibus exequendis.*

9. Reijcitur hæc opinio, quæ manifestè est falsa. Constat enim experientia multa per demones fieri, ad quæ faciendâ non sufficeret virtus corporum coelestium, ut cum arreptitijs, seu energumeni loquuntur lingua ignota, cum recitant versus, & auctoritates, quas nunquam seruerunt, cum necromantici faciunt, ut statua loquantur, moveantur &c. &c.

10. Secunda opinio est Platonicorum, qui conuicti his experientijs docuerunt dari demones, sed asseruerunt illos non esse substantias spirituales corporibus carentes, sed esse animalia corpore aerea, animo passiuâ, ut existimauit Apuleius relatus ab Augustino lib. 8. de Ciuit. cap. 16. Iuxta hanc opinionem dicendum esset, quod sicut corpora coelestia possunt agere in animas rationales, non quidem directè, & per se, sed indirectè, & per accidens, ut explicatum est num. 7. sic possunt agere in spiritus demonum, non directè, sed solum indirectè, alterando eorum corpora aerea

aeræ; sed quia cum Sancto Thoma quæst. 51. art. 2. diximus supra quæst. 129. Angelos, & dæmones esse penitus immateriales, & corpore carentes, consequenter dicendum est corpora cœlestia, ne indirectè quidem posse agere in dæmones, utpotè carentes potentijs corporeis, & organicis.

11. Dices: si corpora elementaria, vel cœlestia ne indirectè quidem possunt agere in dæmones, quare dæmones attrahuntur, vel arceantur quibusdam herbis, verbis, lapidibus,figurationibus &c. ut docet Porphyrius apud Augustinum lib. 10. de Ciuit. cap. 21. Præterea quare Magi, seu Necromantici ad dæmones inuocandos obseruant certas constellationes; Lunatici vexantur à dæmonibus secundum certa quædam incrementa Lunæ, ut patet Matth. 4. & 17.?

12. Respondet apud Sanctum Thomam hoc art. 5. in respon. ad argumenta Augustini lib. 12. de Ciuit. cap. 6. quod dæmones alliciuntur per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, in quantum scilicet hac eis exhibentur in signum diuini honoris, cuius ipsi sunt cupidi. Non igitur vlla corpora elementaria, vel cœlestia habent vllam vim actiuam in dæmones, licet illi ex quodam pacto tacito, vel expresso, dum in signum diuini honoris, quædam corpora exhibentur, liberè exerceant quasdam operationes. Dæmones à Magis inuocati sub certis constellationibus veniunt, & faciunt quasdam actiones propter duo: primo ut inducant in errorem, quod in stellis est aliquod numen: secundo quia sub certis constellationibus materia corporalis est magis disposita ad recipiendas actiones, quas dæmones debent circa talem materiam exercere. Ex proportionalibus rationibus vexant lunaticos in incrementis Lunæ, primo ut infament creaturam Dei, ut docent D. Hieronymus, & Chrysostomus; secundo quia cerebrum, quod est humidissima pars Animalis, ut docet Aristoteles, maxime subiacet operationi Lunæ, quæ dominatur rebus humidis, ideoque in incrementis Lunæ est magis dispositum ad recipiendas operationes, quibus dæmones turbant hominis phantasiam.

QVAESTIO CCLXXXVIII.

Virum corpora cœlestia imponant necessitatem his, quæ eorum actioni subduntur?

S. Thom. quæst. 115. art. 6.

1. **A**rticulo sexto quærit, vtrum corpora cœlestia imponant necessitatem his, quæ eorum actioni subduntur?

Respondet, quod si intellectus, & voluntas essent potentie organicæ, ac corporeis or-

ganis alligatæ, ut quidam docuerunt, asserentes intellectum esse quemdam sensum, ex necessitate sequeretur quod corpora cœlestia, directè, & per se agerent in intellectum, & voluntatem (siquidem directè, & per se agunt in omnia corpora) ac proinde essent causæ per se electionum, & actuum humanorum: & quia id, quod in inferioribus fit ex impressione corporum cœlestium, fit naturaliter, & non liberè, sequeretur vltèrius, quod homo non liberè, sed naturali instinctu ageretur ad suas actiones, sicut cætera animalia, in quibus non sunt nisi vires corporeis organis alligatæ, ac proinde homo non esset liberi arbitrij, sed haberet actiones determinatas, sicut & cæteræ res naturales: quæ manifestè sunt falsa, & conuersationi humanæ contraria. Cum ergo constet intellectum, & voluntatem non esse actus organorum corporeorum, ut probatum est quæst. 31. de anima, corpora cœlestia non sunt causa per se humanorum actuum, nec illis necessitatem imponunt. Hinc sequitur, quod sicut homo per liberum arbitrium potest impedire in se ipso effectus, ad quos inclinatur à corporibus cœlestibus, sic potest illos impedire in alijs rebus, ad quas hominis operatio potest se extendere, puta potest per agriculturam impedire, ne ager aliquis siluescat &c.

2. Sed quia causæ naturales non habent liberum arbitrium, quo possint impedire operationem corporum cœlestium, videtur, quod saltem omnes effectus causarum naturalium, eueniant ex necessitate, ut docuerunt quidam antiqui. Hanc opinionem rejicit Aristoteles lib. 6. Metaph. tex. 5. quoad duo, quæ supponuntur. Primo enim non est verum, quod posita quacumque causa naturali, necesse sit effectum poni: nam dantur aliquæ causæ naturales determinatæ ad producendos suos effectus, non semper, & necessariò, sed plerumque, eo pacto, quo homo generat hominem, non semper, sed plerumque: ergo non producant suos effectus ex necessitate. Potest responderi tales causas aliquando non producere effectus suos propter impedimentum: sed hoc ipsum impedimentum ponitur necessariò: ergo cum impediuntur, necessariò impediuntur, cum non impediuntur, necessariò non impediuntur, ac necessariò producant suum effectum. Ideò dicendum, quod licet omne, quod est per se, habeat causam, tamen non omne, quod est per accidens, habet causam, sed sicut quod est per accidens, verè non est vnum, sic verè non est ens, ac verè non habet causam: sed sæpè impedimentum est ens per accidens, cum sit concursus accidentalis plurium rerum: ergo sæpè impedimentum non habet causam, ex qua sequatur ex necessitate, & sic effectus impedimenti nõ sequitur ex necessitate, ac nõ est necessarius, sed fortuitus, & casualis respectu causarum secundarum, licet non sit fortuitus, & casualis respectu Dei, ut explicatum est qu. 17.

Kkkkk

Phy:

810 De humana actione docendi.

Physic. de fortuna, & casu. Ideo Aristoteles lib. de somno, & vigilia dicit, quod neque eorum, quæ in corporibus sunt, signorum celestium, velut aquarum, & ventorum, inconueniens est multa non euenire.

QVAESTIO CCLXXXIX.

Vtrum fatum sit aliquid existens in rebus creatis immobile, & cui omnia subdantur?

8. Thom. quest. 116. art. 1. 2. 3. & 4.

1. **Q**uia aliqui existimarunt dari fatum, ac nihil aliud esse, quam dispositionem corporum celestium, hoc est syderum, ideo Sanctus Thomas disp. 116. agens de actione corporum celestium disputat etiam de fato. Quia rursus à multis fato tribuuntur omnes effectus fortuiti, & casuales, agit simul de casu, & fortuna. Sed quia doctrinam huius questionis satis explicavi quest. 17. physicæ, quæ est de fortuna, casu, & fato, ideo nihil hic addendum.

QVÆSTIO CCXC.

Vtrum vnus homo possit docere alium hominem, & etiam Angelum?

8. Th. qu. 117. art. 1. & 2.

1. **P**ostquam Sanctus Thomas egit de actione creaturarum spiritualium, & corporalium, tribus ultimis questionibus primæ partis, nimirum quest. 117. 118. & 119. agit de actione hominis, qui compositus est ex corpore, & anima rationali, quæ est spiritus.

2. Articulo igitur primo quest. 117. quaerit, vtrum, & quomodo vnus homo possit docere alium hominem?

Respondet circa modum, quo vnus homo docet alium, communicando illi scientiam, plures fuisse sententias. Prima fuit Auerrois, qui in Comm. lib. 3. de anima tex. 5. vt cum Sancto Thoma qu. 76. art. 2. diximus quest. 226. num. 5. docuit intellectum possibilem, quo nimirum homo intelligit, non multiplicari secundum multiplicationem corporum humanorum, sed esse vnicum omnium hominum, & per consequens, quod cum vnus homo docet alium, docens non causat in discente scientiam numero diuersam, nec species intelligibiles numero diuersas, sed communicat illi eandem numero scientiam, quam docens habet, ac mouet illum ad ita ordinanda phantasmata, vt per talem ordi-

nationem anima discantis sit disposita ad recte intelligendum, & ad bene vtendum speciebus intelligibilibus, quas habuit ab initio.

3. Hæc opinio in aliquo est vera, in aliquo est falsa. Est vera, in quantum asserit scientiam magistri, ac discipuli esse eandem, ex parte obiecti: siquidem eadem veritas scitur à magistro, & à discipulo. At falsa est, in quantum asserit vnum numero esse intellectum possibilem omnium hominum, ac eandem numero species intelligibiles, ac scientias esse in omnibus hominibus, ac differre solum secundum phantasmata, Vt enim supra quest. 226. num. 5. & quest. 231. num. 7. & in philosophia quest. 32. de anima ex Sancto Thoma hac 1. par. quest. 76. art. 1. & qu. 79. art. 5. diximus, intellectus possibilis, & agens, & consequenter species intelligibiles multiplicantur secundum multiplicationem corporum humanorum.

4. Secunda sententia fuit Platonis, & Platoniorum, qui vt cum Sancto Thoma qu. 84. art. 3. & 4. diximus quest. 239. num. 10. & quest. 240. num. 1. docuerunt species intelligibiles, & scientias ab initio imprimi animæ ab ideis, seu speciebus, & formis separatis per se existentibus, sed animam per vñionem cum corpore impediri, ne possit liberè considerare ea, quorum habet species. Iuxta hanc sententiam discipulus à magistro non addiscit scientiam de nouo, sed solum excitatur ad considerandum ea, quorum habet scientiam, ac species, ac proinde addiscere nihil aliud est, quam reminisci. Proportionaliter existimarunt agentia naturalia disponere solum accidentaliter materiam ad formas, formas verò substantiales imprimi materiæ ab ideis.

5. Reijcitur hæc opinio. Supponit enim intellectum animæ ab initio habere naturaliter species intelligibiles impressas ab ideis: sed vt cum Aristotele lib. 7. de anima tex. 34. diximus quest. 239. num. 11. intellectus humanus naturaliter non habet villas species intelligibiles, sed est sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptum, & paulatim de nouo acquirit species intelligibiles obiectorum, & constituitur velut tabula, vel liber, in quo multa sunt scripta: ergo &c. Vide Sanctum Thomam qu. 84. art. 3.

6. Dicendum igitur, quod docens causat scientiam in addiscente, reducendo illum de potentia in actum, vt dicitur 8. physic. tex. 32.

7. Vt explicetur, & probetur conclusio, supponendum primo, quod ex effectibus, qui sunt à principio exteriori, quidam solum sunt ab exteriori principio, ac non possunt esse à principio interiori; quidam autem ita sunt à principio exteriori, vt possint etiam aliquando esse à principio interiori. Ex gr. forma domus, aut templi ita est ab arte, tanquam ab exteriori principio, vt nunquam possit esse à principio interiori. At sanitas, licet aliquando

do sit ab arte medicandi, tanquam à principio exteriori, tamen potest etiam esse ab ipsa natura animalis, non concurrente arte medici.

8. Supponendum secundo, quod circa sanitatem, aliosque effectus, qui possunt esse tum ab arte, tanquam à principio exteriori, tum à natura tanquam à principio interiori, duo sunt attendenda. Primum est, quod ars in sua operatione imitatur naturam. Sicut enim natura sanat ægrotum, alterando, digerendo, & extrahendo materiam, puta humores causantes morbum, ita & ars. Secundum est, quod principium exterius operatur, non sicut agens principale, sed sicut adiuvans principium interius, quod est agens principale, confortando ipsum, & ministrando ipsi instrumenta, & auxilia, quibus natura utatur ad effectum producendum. Ex-gr. medicus, qui est principium extrinsecum sanitatis, confortat naturam, & adhibet ei cibos, & medicamenta, quibus principium intrinsecum, hoc est natura, utatur ad efficiendam sanitatem.

9. Supponendum tertio scientiam posse acquiri, & causari tum à principio interiori, tum à principio exteriori. Acquiritur à principio interiori, cum acquiritur per inventionem, ut cum quis, nullo discente, inuenit demonstrationem alicuius veritatis, qua constituitur illam sciens. Acquiritur à principio exteriori, cum quis scientiam aliquam addiscit à magistro. Sed explicandum, quo pacto scientia à principio interiori acquiratur per inventionem.

10. Ut id explicetur, supponendum quarto, quod unusquisque habet naturaliter principium scientiæ, hoc est lumen naturale intellectus, per quod cognoscit aliqua principia vniuersalia per se nota omnium scientiarum, puta quod totum est maius sua parte; quod non potest idem simul esse, & non esse &c. Cum autem principia ista per se nota applicat aliquibus particularibus, quorum memoriam, vel experimentum accipit per sensum, ex principiis vniuersalibus, tanquam ex maiori, & ex particularibus, tanquam ex minori iam notis, infert conclusionem antea ignotam, procedens ex notis ad ignota. Quia ergo ars imitatur naturam, ut diximus num. 6. in secundo supposito, docens ex his, quæ discipulus ante nouerat, ducit eum in cognitionem eorum, quæ ignorabat, ideoque Aristoteles 1. poster. tex. 1. dicit, quod omnis doctrina, & omnis disciplina ex præexistente fit cognitione.

11. Si verò quærat, quo pacto docens ex præcognitis à discipulo possit illum ducere ad cognitionem ignotorum, dicendum, quod potest ducere dupliciter. Primo potest illi proponere propositiones aliquas minus vniuersales, quarum veritatem ex præcognitis potest discipulus cognoscere, & sic paulatim discipulum ducere ad cognitionem veritatis antea illi ignotæ, vel potest illi proponere ali-

qua exempla sensibilia, vel similia, vel opposita, per quæ manuducatur ad cognitionem veritatis, ignotæ. Secundo potest confortare intellectum addiscantis, proponendo discipulo principiorum, & veritatum iam notarum ordinem ad veritates ignotas, quem ordinem discipulus per suam virtutem collatiuam, & comparatiuam non posset ex se deprehendere, ac proinde non posset conclusiones ex principiis inferre. Proponere veritates ante notas, sic illas combinando, ut appareat ex illis sequi veritates ante ignotas, est conclusiones demonstrare, & per demonstrationem causare scientiam conclusionum, ideoque Aristoteles 1. poster. tex. 5. dicit, quod demonstratio est syllogismus faciens scire. Patet ex his vnum hominem posse docere alium, & explicatum est, quo pacto possit docere. Videri possunt, quæ de hoc puncto dixi quæst. 66. logicæ, & quæ dixi supra quæst. 193. agens de illuminatione, qua vnus Angelus docet alterum.

12. Quæritur primo, in quo sensu docere sit proprium Dei, iuxta illud Christi Matth. 23. Nolite vocari Rabbi. Vnus est enim magister vester: quæ verba glossa explicans dicit: ne diuinum honorem hominibus tribuatis.

Respondeo, quod sicut cum quis sanat, natura est principalis causa sanitatis, medicus autem solum adhibet exterius ministerium, quo naturam adiuvat, sic cum quis addiscit, lumen intellectuale est principalis causa scientiæ, homo autem docens, adhibendo exterius ministerium, adiuvat lumen intellectuale; sed Deus sicut dat, & conseruat naturam, quæ est principalis causa sanitatis, sic dat, & conseruat in homine lumen intellectuale, quod est causa scientiæ: ergo Deus est prima, & principalissima causa sanitatis, & scientiæ, ideoque sicut psal. 101. de Deo dicitur, qui sanat omnes infirmitates tuas, sic psal. 93. dicitur, qui docet hominem scientiam. Esse igitur magistrum, dando, & conseruando in homine, & Angelo lumen intellectuale, est proprium Dei.

13. Quæritur secundo, vtrum cum docens, per scientiam, quam habet, causat in altero similem scientiam, agat per suam scientiam, tanquam per qualitatem actiuam, & productiuam similis scientiæ, eo pacto, quo cum calidum calefacit, agit per calorem, tanquam per qualitatem actiuam, & productiuam caloris similis.

Respondeo negatiue. Nam qui docet alterum non communicat alteri scientiam per modum agentis naturalis, sed agit per scientiam, tanquam per principium, quo dirigitur ad proponendas alteri veritates antea notas ita ordinatè, ut ex ijs manuducatur ad inferendas, & cognoscendas alias veritates antea non notas. Malè igitur Auerroes ex nostra sententia infert sequi scientiam esse qualitatem actiuam similis scientiæ, sicut calor est qualitas actiua similis caloris. Magister

Kkkkk 2 ergo

ergo docendo, non causat in discipulo lumen intellectuale, nec directè causat species intelligibiles, sed loquendo, proponit illi res novas in vniuersali, & sub quadam confusione, ex quibus manuducitur ad easdem cognoscendas distinctè, & in particulari. Vide dicta quæst. 66. logicæ in resp. ad 6.

14. Articulo secundo quærit, vtrum homines possint docere Angelos.

Respondet, quod de rebus diuinis ab hominibus Angeli nunquam illuminantur, cogitationes tamen, & secreta suorum cordium homines Angelis per modum locutionis manifestare possunt, quæ secreta cordium scire Dei solius est, vt cum eodem S. Thoma q. 55. art. 4. diximus quæst. 155.

15. Probat: nam ex dictis quæst. 194. cum Sancto Thoma quæst. 107. art. 2. inferiores Angeli loqui quidem possunt superioribus Angelis, manifestando eis suas cogitationes, ac sua secreta, sed de rebus diuinis superiores ab inferioribus nunquam illuminantur, aut docentur: sed supremi homines in natura sunt inferiores etiam infimis Angelis, iuxta illud Christi Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: sed qui minor est in regno celorum, maior est illo: ergo.* Ideo Dionysius cap. 4. de diuinis nominibus dicit, quod omnes diuina illuminationes deferuntur ad homines, mediantibus Angelis, ex quo sequitur, quod non deferuntur ad Angelos, mediantibus hominibus.

16. Opponitur illud Apostoli ad Eph. 3. *Vt innotescat principibus, & potestatibus in celestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei: ergo per prædicationem Pauli innotuit Ecclesiæ coelesti, hoc est Angelis, multiformis sapientia Dei.* Hic locus Apostoli examinatus est à nobis ex professo quæst. 157. num. 19. & sequentibus, ideoque nihil hic est addendum.

17. Addit Sanctus Thomas, quod dum aliqui homines, puta Apostoli, dicuntur instrui immediatè à Verbo Dei, iuxta illud Pauli ad Hebr. 1. *nouissime diebus istis locutus est nobis in filio, non intelligitur, quod sint instructi à Verbo Dei immediatè secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem.*

QVÆSTIO CCXCI.

Virum homo per virtutem anime possit mutare materiam, & anima humana separata possit corpora mouere saltem localiter?

S. Thom. quæst. 117. art. 3. & 4.

1. **A**rticulo tertio quærit, vtrum homo per virtutem animæ possit corporalem materiam immutare?

2. Respondet, quod anima sua virtute na-

turali non potest immutare materiam corporalem, nisi mediantibus aliquibus corporibus, puta non potest corpora calefacere, nisi mediante igne, vel alio corpore formaliter, aut virtualiter calido.

3. Probat: nam vt cum Sancto Thoma quæst. 110. art. 2. diximus quæst. 203. materia corporalis non immutatur immediatè ad formam, nisi vel ab agente composito ex materia, & forma, vel à Deo, qui continet eminentèr materiam, & formam, vt causa primordialis vtriusque: ideoque Angeli non possunt materiam corporalem immutare ad formam, nisi applicando corporalia agentia ad effectus aliquos producendos, puta non possunt corpora calefacere, nisi applicando ignem, vel aliud corpus calefactiuum: ergo multo minus anima rationalis, quæ est inferior Angelis, potest naturaliter immutare materiam corporalem ad formam, nisi mediantibus aliquibus corporibus. Ideo Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 8. dicit, quod materia corporalis soli Deo obedit ad nutum, siquidem solus Deus per suam voluntatem potest materiam corporalem immutare ad quamlibet formam. Dum ergo Gregorius lib. 2. dialog. cap. 30. dicit, quod sancti miracula aliquando ex prece faciunt, aliquando ex potestate, sicut Petrus, qui Tabitam mortuam prece suscitauit, Ananiam, & Saphiram mentientes morti increpando tradidit, significat sanctos miracula materiæ immutauit facere, non potestate, ac virtute naturali, sed potestate, ac virtute supernaturali gratiæ, ideoque ibidem dicit: *Qui Filij Dei ex potestate sunt, quid mirum si signa facere ex potestate valeant?* sed potestas, qua sancti possunt fieri filij Dei, est supernaturalis: ergo etiam potestas, qua sancti possunt facere miracula, & immutare materiam corporalem, est supernaturalis.

4. Quæres primo, si anima non potest immediatè immutare corpora, quænam est causa fascinationis, qua aliqui solo aspectu fascinant alios, ac præsertim pueros, de qua fascinatione loquitur Glossa super illud ad Galat. 3. *Quis vos fascinauit?* dicens, quod quidam habent oculos videntes, qui solo aspectu inficiunt alios, & maxime pueros.

Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 2. Auicennam docuisse, quod materia corporalis nata est obedire spirituali substantiæ magis, quam contrarijs agentibus in naturæ: & ideo quando anima fuerit fortis in sua imaginatione, corporalis materia immutatur secundum eam, & hanc dicit esse causam oculi fascinantis. Sed quia hæc opinio repugnat doctrinæ traditæ, quod nimirum materia corporalis soli Deo obedit ad nutum, dicendum cum Sancto Thoma, quod ex forti, & vehemēti imaginatione animæ mutantur spiritus corporis animæ vñiti, ac præsertim hæc immutatio fit in oculis, ad quos subtiliores spiritus perueniunt. Oculi per spiritus infectos inficiunt aerem continuum vsque ad spatium determinatum, ideoque specula valde pura

pura contrahunt quamdam impuritatem ex aspectu mulieris menstruatae, ut notat Aristoteles lib. de somno, & vigilia, cap. 2. Cum igitur aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maxime in vetulabus contingit, efficitur secundum modum prædictum aspectus eius venenosus, & noxius, & maxime pueris, qui habent corpus tenerum, & de facili receptivum impressionis. Possibile est etiam, quod ex Dei permissione, vel etiam ex aliquo fato occulto, cooperetur ad hoc malignitas demonum, cum quibus vetula sortilege commercium habent.

5 Quætes secundo: nonne anima rationalis potest per apprehensionem immutare, & alterare proprium corpus, cui vnitur ut forma?

Respondet affirmatiue, ut patet ex eo, quod irascentes calefiunt, & rubescunt, timentes frigesunt, & pallescunt, & aliquando ita alterantur, ut agrotent, & moriantur. Ratio est, quia ut cum Sancto Thoma qu. 81. art. 2. diximus quæst. 236. appetitus sensitivus est actus organi corporali: ergo cum appetitus sensitivus immutatur ex apprehensione rationis, fit aliqua immutatio etiam in organo corporali, ideoque cum quis irascitur, calefit, cum timet, frigesit. At ad muranda corpora non vnita animæ, non sufficit apprehensio animæ, nisi mediante mutatione proprii corporis.

6. Articulo quarto quærit, vtrum anima rationalis separata possit corpora saltem localiter movere?

Respondet negatiue, ac docet, quod nullum corpus obedit animæ separate ad motum localem, quantum est ex virtute sue nature, supra quam potest aliquid ei conferri virtute diuina. Probatur: nam cum anima rationalis est vnita corpori, non mouet immediatè, & ad nutum aliud corpus, quam quod ab ipsa est animatum, & viuificatum, ideoque manum, aut pedem, aut aliud membrum, abscissum non potest mouere immediatè, sed solum medio corpore sibi vnito: sed anima separata nullum corpus animat, ac viuificat: ergo anima separata nullum corpus potest naturaliter mouere. Ideo Aristoteles 2. de anima tex. 26. dicit, quod anima non potest mouere quodecunque corpus, sed solummodo proprium.

7 Quæres, quare Angeli possunt, cum voluerint localiter mouere corpora, ideoque materia corporalis dicitur ad nutum obedire Angelis, anima autem separata, licet sit substantia spiritualis, sicut Angeli, non possit cum voluerit, mouere corpora,

Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 1. rationem esse, quia Angeli non sunt forma vilius corporis, ideoque habent virtutem motiuam non determinatam, ac restrictam ad hoc potius corpus, quam illud, ac proinde possunt mouere omnia corpora. At anima rationalis est forma corporis, ac proinde habet virtutem motiuam determinatam ad mouendum corpus, cui vnitur, ac mouere nequit

vllum corpus separatim.

8 Quia verò in itinerario Clementis Nicetas narrat Petro, quod Simon magus anima cuiusdam pueri à se interfecti vicebatur ad magicas operationes, quæ fiebant cum motu aliquorum corporum; Sanctus Thomas ad 2. respondet ex Augustino lib. 10. de Ciuitate cap. 11. & ex Chrysostomo hom. 29. in Matth. quod frequenter demones simulant se esse animas mortuorum ad conseruandum gentiliū errorem, qui hoc credebant, & ideo credibile est, quod Simon magus illudebatur ab aliquo demone, qui simulabat se esse animam pueri, quem ipse occiderat.

QVÆSTIO CCLXXXII.

Vtrum anima sensitiva, & etiam intellectiua traducatur cum semine, & omnes anime intellectiue fuerint simul create?

S. Tho. quæst. 118. art. 1. 2. 3.

1. **A**git demum S. Thomas de actione, qua vnus homo cum semine traducitur ex alio quoad animam, vel quoad corpus. Articulo igitur primo quærit, vtrum anima sensitiva in generatione traducatur, cum semine, vel potius à Deo fiat per creationem. Respondet quidam existimare animas sensitivas brutorum animalium à Deo creari. Hæc opinio posset admitti, si animæ sensitivæ brutorum animalium per se subsisterent, & haberent per se esse, & operationem. Nam quod per se est, & operatur, per se fit; sed res subsistens, & simplex non potest fieri, nisi à Deo per creationem ex nihilo: ergo. Sed quia ut ex Sancto Thoma quæst. 75. art. 3. diximus quæst. 223. animæ sensitivæ brutorum animalium non per se subsistunt, nec per se operantur, sed dicuntur esse, in quantum composita subsistentia per eas sunt, proportionatim non per se sunt, sed composita subsistentia per eas sunt, ut magis explicam quæst. 10. physicæ: sed generans debet esse simile genitori: ergo naturaliter animæ sensitivæ, ac omnes formæ non subsistentes producantur ab aliquibus agentibus corporeis transmutantibus materiā de potentia in actum, & educantibus formas ex potentia materie per aliquam virtutem corpoream, quæ in eis est. Animæ porro viuentium produci solent per semen. Ratio est, quia agens quo est potentius, eo potest diffundere suam actionem in magis distans, ideoque corpus quo est calidius, eo re-motius diffundit suam calorem: sed corpora viuentia vtpotè perfectiora sunt potentiora corporibus non viuentibus: ergo corpora viuentia diffundunt suam actionem in magis distans, quam corpora non viuentia: sed quæ producant sibi simile non solum per se ipsa, sed etiam per aliquod medium, cui communicatur virtus agentis principalis, diffundunt suam

Kkkkk 3

suam actionem ad magis distans, quam quæ producunt sibi simile solum per se ipsa: ergo licet corpora non viuientia producant sibi simile solum per se ipsa, corpora viuientia producant sibi simile non solum per se ipsa, sed etiam per medium, cui communicant suam virtutem, quod medium vocatur semen. Viuentia ergo per actionem se nutriendi, & augendi producunt per se ipsa sibi simile, partes nimirum carniū, & ossium similes alijs partibus: per actionem autem generandi producunt sibi simile per medium, hoc est per semen: ac bruta animalia producunt animas sensitivas per semen, quæ proinde dicuntur traduci, ac deriuari simul cum semine, ad quod semen tanquam ad instrumentum deriuatur virtus actiua ab anima animalis, ac plantæ, tanquam ab agente principali. Sicut autem nihil refert dicere, quod aliquid moueatur ab instrumento, ac quod moueatur ab agente principali, puta quod moueatur ab homine, vel à manu hominis, sic nihil refert dicere, quod animæ brutorum animalium, & plantarum deriuentur ab anima generantis, vel à virtute feminis deriuata ab anima generantis. Quia verò instrumentum virtute causæ principalis potest causare effectum perfectiorem se, ideo potentia generatiua, quæ est in semine animalis, & recensetur inter potentias vegetatiuas, virtute animæ sensitivæ potest causare animam sensitivam. Ex proportionali ratione licet semen non sit animatum, tamen quia continet virtutem animæ fundatam, & receptam in spiritu, qui est in semine, potest causare corpus animatum. Quia rursus in tali spiritu est etiam quidam calor ex virtute cælestium corporum, quorum virtute agentia inferiora agunt ad speciem, ut cum Sancto Thoma quæst. 115. art. 3. ad 2. diximus quæst. 287. num. 4. ideo 2. physic. tex. 26. dicitur, quod *homo generat hominem, & Sol*. Calor autem elementaris se habet instrumentaliter ad virtutem animæ, sicut etiam ad virtutem nutritiuam, ut dicitur 2. de anima, tex. 50. & 2. de partibus animalium, cap. 3.

2. Quæritur, vtrum principium actiuum animæ sensitivæ, quod est in semine, remaneat in animali iam generato, vel non remaneat?

Respondeo ex doctrina Sancti Thomæ in resp. ad 4. quod non remanet. Ut hoc explicetur, notandum primo ex Aristot. lib. 1. de Generat. anim. cap. 2. & 20. quod virtus actiua est in semine maris, materia autem, ex qua generatur foetus, est illud, quod ministratur à foemina.

3. Notandum secundo quod in materia, quæ ministratur à foemina, ab initio est anima vegetatiua, non quidem in actu secundo, cum actu non vegetetur, sed in actu primo, cum possit vegetari, eo pacto, quo in dormientibus anima sensitiva est solum in actu primo, non autem in actu secundo, cum dormien-

tes actu non sentiant. Ideo in materia ministrata à foemina anima vegetatiua est quodammodo dormiens.

4. Notandum tertio, quod materia illa transformatur, & perficitur à semine maris, donec perueniat ad actum animæ sensitivæ, non ita, ut ipsamet virtus feminis euadat anima sensitiva: (alioquin idem esset generans, & genitum, & potius fieret quædam nutritio, & augmentatio, quam generatio, ut Aristoteles dicit lib. 1. de anima tex. 33. & 34.) sed ita, ut in materia subministrata à foemina producat anima sensitiva.

5. Notandum quarto, quod postquam per virtutem principij actiui, hoc est feminis virilis, producta est anima sensitiva in materia, subministrata à foemina, & in aliqua parte principali geniti, puta in corde, tunc illa anima sensitiva ad complendum, perficiendum, augendum, & formandum proprium corpus, incipit operari per motum nutritiōis, & augmentatiōis. Virtus autem actiua, ac generatiua, quæ erat in semine, non remanet amplius, sed evanescit, dissoluto semine, & evanescente spiritu, qui erat in semine. Nec est absurdum, quod virtus instrumentalis ordinata ad aliquem effectum, habito effectu, & fine, desinat, & evanescat: sed virtus actiua, feminis ordinatur ad materiam animandam anima sensitiva: ergo non est inconueniens, quod desinat esse, producta iam anima sensitiva. Videri possunt quæ de animalium generatione ex semine dixi in Philos. quæst. 13. de anima, ob id, quod dicitur.

6. Articulo secundo quærit, vtrum etiam anima intellectiua, ac rationalis causetur ex semine?

Respondet negativè. Probat: nam impossibile est virtutem, quæ est in materia, extendere suam actionem ad producendum effectum immaterialem: sed virtus feminis est in materia: ergo impossibile est virtutem feminis extendere suam actionem ad producendum effectum immaterialem: sed anima intellectiua, quæ est principium intelligendi in homine, transcendit materiam, & est immaterialis: habet enim operationem intelligendi, in qua non communicat corpus: ergo impossibile est virtutem feminis extendere suam actionem ad producendam animam intellectiuam. Ideo Aristoteles lib. 2. de generat. animal. cap. 3. dicit. *Relinquitur intellectus solus de foris aduenire*: cum scilicet non producat a generante materiali, sed à solo Deo.

7. Confirmatur secundo: nam anima intellectiua, cum habeat operationem vitalem intelligendi independentem à corpore, habet etiam esse independentem à corpore, & materia, ac proinde per se subsistens, ut cum Sancto Thoma quæst. 75. art. 2. diximus quæst. 223. ergo etiam per se est, & fit, & cum sit substantia immaterialis non potest fieri per generationem, qua educatur ex potentia materiæ, sed debet fieri ex nihilo sui, & subiecti, ac

ac proinde per creationem à Deo. Concludit Sanctus Thomas: ponere ergo animam intellectivam à generante causari, nihil est aliud, quam ponere eam non subsistentem, & per consequens corrumpi cum corpore. Et ideo hæreticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine.

8 Quæritur primò, in quo sensu Gen. 46. dicatur: cunctæ animæ, quæ egressæ sunt de femore Iacob, quadraginta sex.

Respondeo cum Sancto Thoma in resp. ad 1. quod eo loco per synecdocham sumitur pars pro toto, hoc est anima, quæ est pars hominis, pro toto homine, ac significatur 46. homines egressos fuisse de femore Iacob per carnalem generationem.

9 Quæres secundo: quandoquidem eadem anima est simul vegetativa, sensitiva, & intellectiva, quo pacto anima sensitiva hominis potest generari ex semine, anima autem intellectiva non generari ex semine?

Respondeo Sanctum Thomam in resp. ad 2. referre plures sententias. Prima est aliquorum, qui dixerunt operationes vitales embryonis, quibus nutritur, & augetur, non procedere ab anima embryonis, sed ab anima matris, vel à virtute formativa seminis. Rejicitur hæc opinio. Nam operationes vitales debent procedere ab ipso vivente, ac non possunt procedere solum ab extrinseco. Ideo dicendum, quod in embryone primo existit anima vegetativa, seu nutritiva, deinde anima sensitiva, ac demum intellectiva. Aliqui existimant ita unam ex istis animabus alteri supervenire, ut simul remaneant. Sed hanc opinionem de tribus animabus simul existentibus cum Sancto Thoma quæst. 76. art. 3. rejecimus supra quæst. 227. & in philosophia in tract. de anima quæst. 6. Tertia sententia docet, quod eadem anima, quæ primo fuit vegetativa tantum, postea per actionem virtutis, quæ est in semine, perducitur ad hoc, ut sit etiam sensitiva, ac demum per virtutem superioris agentis, hoc est Dei, perducitur ad hoc, ut sit simul intellectiva. Rejicitur etiam hæc opinio. Primo enim anima fuscipiet magis, & minus, & anima augetur quodammodo per additionem gradus ad gradum. Secundo generatio animalis esset motus continuus, quo animal ab uno gradu perduceretur paulatim ad alium gradum. Tercio generatio hominis, aut equi non esset generatio simpliciter, quia supponeret ens actu per animam sensitivam, & vegetativam. Quarto anima intellectiva hominis creata à Deo est forma subsistens: ergo distinguitur ab anima sensitiva, quæ non est forma subsistens: ergo dantur in homine simul plures animæ, quod iam est reiectum. Si verò dicatur, quod anima intellectiva hominis non est forma subsistens, sed est quædam perfectio animæ sensitivæ, quam præsupponit, sequitur, quod corrupta anima sensitiva, corrumpatur etiam intellectiva, ut potè quæ non per se subsistit. Quarta sententia est eorum, qui dixerunt unum

numero esse intellectum omnium hominum. Sed hanc opinionem cum S. Thoma quæst. 76. art. 2. rejecimus supra quæst. 226. Dicendum igitur, quod quia generatio unius est corruptio alterius, cum in homine, vel animalibus advenit forma perfectior, corrumpitur, ac desinit forma imperfectior contenta virtualiter in forma perfectiori: sed anima sensitiva, est perfectior, quàm anima vegetativa, & anima intellectiva est perfectior quàm anima sensitiva: ergo cum advenit anima sensitiva, corrumpitur, ac desinit anima purè vegetativa: & cum advenit anima intellectiva, corrumpitur, & desinit anima sensitiva, & anima intellectiva est simul vegetativa, sensitiva, & intellectiva & produciuntur à solo Deo per creationem. Hæc magis explicata sunt in philosophia, quæst. 6. de anima.

10 Addit Sanctus Thomas, quod cum duo agentia sunt subordinata, non repugnat, quod unum disponat materiam, aliud producat formam: sed tota natura subordinatur Deo, & agit ut instrumentum Dei: ergo non repugnat, quod natura disponat materiam ad animam intellectivam, & formet corpus, Deus autem creet animam, eamque corpori infundat. Hinc sequitur, quod homo generat sibi simile, in quantum per virtutem seminis disponit corpus ad animam humanam, quam Deus creat, & corpori infundit. In actione porro adulterorum illud, quod est naturæ, bonum est, cuius Deus cooperatur: quod autem est inordinata voluptas, est malum, & huic Deus non cooperatur, sed peccatum purè permittit.

11 Articulo tertio quærit, utrum omnes animæ humanæ creatæ fuerint simul à principio mundi?

Respondet aliquos existimasse animas hominum esse eiusdem rationis cum Angelis, hoc est cum substantiis separatis, quæ non uniuntur corporibus, ac proinde accidentaliter corporibus uniri, & omnes creatas fuisse simul ab initio mundi.

12 Rejicitur hæc opinio. Primo enim si animæ humanæ accidentaliter corporibus uniuntur, sequeretur, quod homo constitutus per unionem animæ cum corpore esset ens per accidens, vel quod sola anima esset homo: sed homo non est ens per accidens, & homo est compositum ex anima, & corpore, ac non est sola anima, ut cum Sancto Thoma quæst. 75. art. 4. diximus quæst. 224. & in philosophia quæst. 8. Physicorum: ergo.

13 Rejicitur secundo: anima enim non est eiusdem rationis cum Angelis: ergo &c. Probatur antecedens: nam Angeli intelligunt per species ingenas, ac sine conversione ad phantasmata, ideoque non indigent corpore, & sensibus corporeis, ut cum Sancto Thoma quæst. 55. art. 2. diximus quæst. 150. anima autem hominis intelligit per species à sensibus acceptas, & convertendo se ad phantasmata, ut cum eodem Sancto Thoma quæst. 84. art.

art. 7. diximus quæst. 241. & 242. ideoque anima indiget corpore, & sensibus corporeis; sed ex diuerso modo intelligendi sequitur animas humanas esse diuersæ rationis ab Angelis: ergo.

14. Reijcitur tertio, & ex dictis positivè probatur animas humanas non fuisse simul creatas ab initio mundi. Nam si, vt probatum est, naturale est animæ vniri corpori, carere corpore est contra naturam animæ, ac proinde anima, dum caret corpore, non habet suam perfectionem, & est substantialiter incompleta: sed non fuit conueniens, vt Deus suum opus inchoaret ab imperfectis, & ab his, quæ sunt præter naturam: ergo non fuit conueniens, vt Deus ab initio crearet animas carentes corpore. Confirmatur: nam Deus ab initio non fecit homines carentes suis partibus naturalibus, puta manibus, aut pedibus: ergo multo minus fuit conueniens, vt faceret animas, sine corporibus.

15. Si verò aliquis dicat non esse naturale animæ, vt corpori vnatur, debet afferri ratio, cur de facto sit vnita corpori. Vel ergo dicitur animam fuisse vnitam corpori, quia voluit, vel quod fuit vnita corpori ex alia causa: si dicitur animam vnitam fuisse corpori, quia voluit, contra est primo: nam irrationabiliter anima voluit vniri corpori, si corpore non indigebat: sed si corpore indigebat, naturale fuit animæ vniri corpori: siquidem natura non deficit in necessarijs: ergo. Contra est secundo: nam fuisset irrationabile, vt animæ creatæ ab initio mundi post tot sæcula vellent corpori vniri. Tertio videretur casu contingere, vt anima vniretur huic corpori, siquidem ad hoc deberent concurrere voluntas animæ, & voluntas generantis. Si autem anima præter suam voluntatem, & naturam corpori vnitur, violenter vnitur: ergo talis vnio est animæ pœnalis, & tristis, ac proinde inciditur in errorem Origenis, qui docuit animas corporibus vniri in pœnam peccati, vt refert Epiphanius lib. 2. de Hæresibus, hæresi 64. ergo ne incidamus in hæc inconuenientia, dicendum, quod animæ non sunt creatæ ante corpora, sed simul creantur, & suis corporibus infunduntur. Vide quæ de hoc puncto dixi in philosophia quæst. 33. de anima, conc. 2.

16. Quæres primo, si Deus quotidie creat nouas animas, quo pacto Gen. 2. dicitur, quod die septimo Deus requieuit ab omni opere, quod pararat?

Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 1. quod Deus dicitur requieuisse die septimo, non quidem ab omni opere, siquidem lo. 3. Christus dicit: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, sed à nouis rerum generibus, & speciebus condendis, quæ in operibus primis aliquo pacto non præxisterent. Animæ ergo hominum, quæ de nouo creantur, præextiterunt secundum similitudinem speciei in anima Adami, quæ creata fuit die sexta. Quæ verò ad perfectionem vniuersi sufficiunt spe-

cies, ideo mundus ab initio fuit perfectus, licet daretur vna sola anima Adami.

17. Addit Sanctus Thomas in resp. ad 3. quod de facto cum homo moritur, anima remanet separata à corpore in pœnam peccati. Ab initio autem non fuit conueniens, vt anima esset à corpore separata, ideoque cap. 1. dicitur: *Deus mortem non fecit, sed impij manibus, & verbis accerserunt eam*.

QVAESTIO CCLXXXIII.

Vtrum aliquid de alimento conuertatur in virtutem humane naturæ?

S. Th. quæst. 119. art. 1.

1. **P**ostquam Sanctus Thomas explicauit, quo pacto homines propagentur quoad animam, quæst. 119. explicat, quo pacto propagentur quoad corpus. Articulo igitur primo quærit, vtrum aliquid de alimento conuertatur in veritatem humane naturæ? Vt explicetur sensus quæstionis, & quæstio soluat, præmittit primo, quod quia ex Aristotele 2. Metaph. tex. 4. vnumquodque ita se habet ad veritatem, sicut se habet ad esse, illud dicitur pertinere ad veritatem alicuius naturæ, quod pertinet ad constitutionem talis naturæ. Dum ergo quæritur, vtrum alimentum conuertatur in veritatem humane naturæ, quæritur, vtrum alimentum conuertatur in aliquid pertinens ad constitutionem naturæ humane?

2. Præmittit secundo naturam dupliciter posse considerari. Primo potest considerari in communi, & secundum speciem, puta natura humana potest considerari in communi, in quantum constituit hominem secundum speciem. Secundo potest considerari in singulari, in quantum constituit indiuiduum, puta potest considerari hæc natura humana, in quantum constituit Petrum, Paulum, vel alium hominem singularem. Sicut igitur ad veritatem humane naturæ in communi pertinet anima rationalis, & corpus humanum, sic ad veritatem humane naturæ in singulari pertinet hæc anima, & hoc corpus, puta ad naturam Petri pertinet hæc anima, & hoc corpus.

3. Præmittit tertio dari quasdam substantias, quarum forma specifica non existit, nisi in hac materia, cui ab initio fuit vnita, puta forma Solis non potest de facto esse, & saluari, nisi in hac materia, cui ab initio fuit vnita. Idem dic de forma Lunæ, & aliorum planetarum.

4. His præmissis, refert, & reijcit Sanctus Thomas quasdam sententias, ac deinde proponit suam opinionem. Prima ergo sententia est quorundam, qui dixerunt, quod sicut forma Solis non potest de facto esse, & saluari, nisi in hac materia determinata, & signata, in qua fuit ab initio creata, sic anima rationalis, quæ

quæ est forma hominis, non potest de facto esse, & saluari, nisi in ea materia determinata, & signata, in qua ab initio creata fuit in Adamo. Consequenter docuerunt, quod illa solum materia, quæ ex Adamo deriuatur in posteros, informatur anima rationali; materia autem, quæ superadditur, non informatur anima rationali. Addunt, quod materia ex Adamo deriuata multiplicatur in se ipsa, & sic multiplicata informatur anima rationali aliorum hominum, & constituit substantiam illorum; alimentum autem non conuertitur in substantiam hominis aliti, sed solum requiritur, tanquam quoddam fomentum naturæ, vt resistat actioni caloris naturalis, ne consumatur humidum radicale, sicut plumbum, vel stannum additur argento, ne consumatur ab igne.

5. Hanc doctrinam Sanctus Thomas multipliciter impugnatur. Primo enim eo ipso, quod forma possit deferere materiam, in qua est, per corruptionem indiuidui, potest acquirere aliam materiam per generationem alterius indiuidui, ideoque omnia generabilia sunt corruptibilia, & e conuerso: ex. gr. eo ipso, quod potest corrumpi ignis, & sic forma ignis potest amittere materiam, in qua erat, potest generari alius ignis, & sic forma ignis potest acquirere materiam, in qua non erat: sed forma hominis, nimirum anima rationalis potest amittere materiam, in qua erat, & de facto illam amittit, cum homo moritur, & si non posset amittere materiam, in qua erat, homo non posset mori: ergo forma hominis, hoc est anima rationalis potest per hominis generationem acquirere materiam, in qua non erat.

6. Secundo in omnibus speciebus, quarum materia inuenitur tota in vnicuique indiuiduo, datur vnicuique solum indiuiduum, vt patet in Sole, Luna &c. Quia enim tota materia Solis inuenitur in vnicuique indiuiduo, datur vnicuique Sol: ergo si tota materia naturæ humanæ fuisset in vnicuique indiuiduo, nimirum in Adamo, daretur vnicuique indiuiduum naturæ humanæ, ac daretur vnicuique homo, sicut datur vnicuique Sol.

7. Tercio impugnatur eadem opinio, in quantum dicit materiam Adam, dum deriuatur in posteros, multiplicari in se ipsa. Nam materia non potest multiplicari, nisi vel per rarefactionem, ita ut eadem materia accipiat maiores dimensiones, vel per additionem alterius rei, vt cum ignis multiplicatur per additionem lignorum, vel per creationem nouæ materiæ; nullo ex his modis materia, quæ erat in Adamo, multiplicatur in corporibus humanis: ergo. Probatur minor. Primo enim, si dum pueri crescunt, materia multiplicaretur per rarefactionem, corpora hominum perfectæ ætatis euaderent rariora, & sic imperfectiora corporibus puerorum. Secundo non multiplicatur per creationem nouæ materiæ, siquidem vt dicit Gre-

gorius lib. 32. moral. cap. 10. omnia sunt simul creata secundum substantiam materiæ, licet non secundum speciem formæ. Relinquitur ergo, quod sicut ignis augetur per additionem lignorum, quæ conuertuntur in ignem, sic corpora humana augentur per additionem alimenti, quod conuertatur in veritatem corporis humani.

8. Quarto homo non differt ab animalibus, & plantis secundum animam vegetabilem, eiusque operationes: ergo si corpora hominum non multiplicantur, & crescunt per conuersionem alimenti in corpus nutritum, nec animalia, & plantæ auferentur, & crescerent per conuersionem alimenti in corpus nutritum, sed per rarefactionem eiusdem materiæ, vel per creationem nouæ materiæ: sed istæ duæ multiplicationes non possunt esse naturales, siquidem naturaliter non potest creari noua materia, & materia non potest naturaliter rarefieri, nisi vsque ad certum terminum: ergo animalia, & plantæ per nutritionem non auferentur, & crescerent naturaliter.

9. Secunda sententia docet formam humanam specificè consideratam posse acquirere aliam materiam, & sic constituere aliud indiuiduum: at formam humanam iam existentem in determinato indiuiduo, puta in Petro, non posse acquirere aliam materiam spectantem ad idem indiuiduum, sed esse affixam illi materiæ, cui fuit impressa in generatione, nec posse illam deferere vsque ad corruptionem talis indiuidui. Consequenter dicunt illam solam materiam, cui forma est impressa à generante, principaliter pertinere ad veritatem naturæ humanæ. Quia verò materia, cui primo forma impressa est à generante, non sufficit ad quantitatem debitam indiuidui, requiritur, vt adueniat noua materia per conuersionem alimenti in substantiam nutriti, & hanc materiam dicunt secundario pertinere ad substantiam nutriti, quia non requiritur ad primum esse indiuidui, sed ad eius quantitatem. Si autem aliquid aliud aduenit ex alimento, hoc non pertinet ad veritatem humanæ naturæ, propriè loquendo.

10. Reijcitur etiam hæc opinio. Primo enim corpora viuientium per hoc differunt à corporibus inanimatorum, quod corpora viuientium non solum possunt generare sibi simile in specie, puta equus equum, sed etiam sibi simile in eodem indiuiduo, puta caro carnem, dum se nutrit, & auget; corpora autem non viuientium, cum non nutrantur, hoc non possunt: sed hæc opinio negat hoc discrimen, dum asserit carnem non posse per nutritionem generare carnem similem, ac quæ principaliter pertineat ad veritatem humanæ naturæ: ergo.

11. Secundo virtus actiua seminis deriuatur ab anima generantis, & est eius instrumentum, vt dictum est quæst. 290. ergo virtus seminis non potest habere maiorem virtutem actiuam

activam, quam ipsa anima: sed virtute seminis verè aliqua materia in generatione assumit formam naturæ humanæ: ergo à fortiori ipsa anima in materiam alimenti poterit per nutritionem inducere formam naturæ humanæ.

12. Reijcitur tertio: nam indigemus alimento non solum ad augmentum (alioquin terminato augmento, non amplius indigeremus alimento) sed etiam ad restaurandas partes deperditas per actionem caloris naturalis: sed non esset restauratio, nisi id, quod ex alimento generatur, succederet in locum deperditi: ergo id, quod ex alimento generatur, succedit in locum deperditi: ergo sicut id, quod primo iterat, & deperditum est, spectabat ad veritatem humanæ naturæ, sic id, quod ex alimento generatur, spectat ad veritatem humanæ naturæ, in quantum verè accipit formam carnis, ossis, & aliarum partium. Ideo Philosophus lib. 2. de anima t. 43. & lib. 1. de Gener. t. 39. dicit, quod alimentum nutrit, in quantum est potentia caro.

13. Quæres primo, in quo sensu Matthæ 15. Christus dicat: *omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & per secessum emittitur*, si alimentum convertitur in substantiam hominis, in eoque remanet?

Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 1. quod non significat Christus totum, quod in os intrat, in secessum emittitur, sed solum, quod oportet, ut de quolibet cibo aliquid impurum per secessum emittatur. Addit ex Hieronymo in comment. loci citati, quod quicquid ex alimento generatur, potest etiam per calorem naturalem resolui, & per poros occultos emitti.

14. Quæritur secundo, in quo sensu dicat Aristoteles lib. 1. de generat. tex. 35. 36. & 37. quod alia est caro secundum speciem, alia est caro secundum materiam, & quod caro secundum materiam aduenit, & recedit?

Respondet in resp. ad 2. aliquos existimasse carnem secundum speciem dici id, quod primo accipit speciem humanam per actionem generantis, & hoc asserunt semper manere, donec individuum durat, carnem secundum materiam dici illam, quæ generatur ex alimento, & hanc dicunt non semper permanere, sed quod sicut aduenit, sic recedit. Verum hæc doctrina est contra mentem, & intentionem Aristotelis. Dicit enim eo loco, quod sicut in vnoquoque habentium speciem in materia, puta in ligno, & lapide, ita & in carne, hoc est secundum speciem, & illud secundum materiam: sed in ligno, lapide, aliisque inanimatis, cum non generentur ex semine, neque nutriantur ex alimento, id, quod est secundum speciem, non distinguitur ab eo, quod est secundum materiam, per hoc, quod illud, quod est secundum speciem, generetur ex semine, illud, quod est secundum materiam, non generetur ex semine, sed ex alimento: ergo per Aristotelem neque in carne,

id, quod est secundum speciem, & id, quod est secundum materiam, non distinguuntur ex eo, quod id, quod est secundum speciem, generetur ex semine, id, quod est secundum materiam, non generetur ex semine, sed ex alimento. Confirmatur: nam ut explicat Aristoteles t. 88. eiusdem libri, id, quod ex alimento generatur, adiungitur corpori nutrito per modum missionis, sicut aqua miscetur vino: sed non potest esse alia natura eius, quod aduenit, & eius, cui aduenit, cum iam sit factum vnum per modum missionis: ergo non est ratio, cur per calorem naturalem vnum consumatur, alterum non consumatur, sed remaneat. Respondet ergo Sanctus Thomas Aristotelem verbis citatis significare, non quod detur diuersa caro, alia secundum speciem, alia secundum materiam, sed quod eadem caro potest considerari secundum formale carnis, quod semper manet, & desinit, & secundum materiale carnis, quod manente individuo, aduenit, & recedit, siquidem aliqua eius partes adueniant de nouo ex alimento, aliqua recedunt, & desinunt, consumptæ per actionem caloris naturalis, eo pacto, quo in fornace ardente ignis secundum formale ignis manet, secundum materiale, aduenit, & recedit, dum aliqua pars desinit, alia de nouo aduenit, ac generatur ex lignis.

15. Quæritur tertio, in quo sensu medici dicant, humidum radicale, si deperdatur, restitui non posse?

Respondet, quod ad humidum radicale pertinet totum id, in quo fundatur virtus speciei, quod si subtrahatur, restitui nequit, eo pacto, quo si abscindatur manus, aut pes, restitui non potest. Humidum nutrimentale dicitur, quod nondum peruenit ad suscipiendam perfectè naturam speciei, sed est in via, ad hoc, puta sanguis, & alia huiusmodi, quæ cum non sint animata, nondum informantur anima, quæ ut forma constituitur natura humana. Ideo subtrahendo sanguine, remanet virtus speciei in radice, per quam sanguis potest reparari.

16. Quæritur quarto, quare si alimentum convertitur in veritatem humanæ naturæ, non potest homo continuè ex alimento reparari, quod perdit per actionem caloris, ac sic semper viuere, & nunquam mori?

Respondet, quod quia omne agens passibile, agendo, reparatur, omnis virtus corporis passibilis, agendo, paulatim debilitatur. Virtus igitur vitalis, quæ viuens conuertit alimentum in suam substantiam, ab initio est tam fortis, ut possit in suam substantiam convertere non solum, quod sufficit ad restorationem deperditi, sed etiam quod sufficit ad augmentum, & tunc viuens crescit, & augetur. Procedente tempore, potest in suam substantiam convertere solum quod sufficit ad restorationem deperditi, non autem quod requiritur ad augmentum, & tunc viuens non amplius crescit, & augetur. Deinde nec potest conuer.

conuertere quod sufficiat ad reparandum totum, quod deperditur, & tunc animal decre-
scit, & minuitur. Demum deficiente tali vir-
tute, animal moritur. Explicat hoc Aristote-
les lib. 1. de Generat. t. 88. exemplo vini con-
uertentis aquam admixtam in vinum, quod
per admissionem aquæ paulatim debilitatur,
ita vt tandem euadat totaliter aquosum, &
amittat formam vini.

17. Quæritur quarto, quo pacto remaneat
idem numero homo, quando paulatim, de-
perdita tota materia priori per actionem ca-
loris naturalis, succedit noua materia genera-
ta ex alimento per actionem nutritiuam.

Respondet ex Aristotele lib. 1. de Gene-
rat. t. 39. quod cum tota materia conuertitur
in ignem præexistentem, dicitur ignis præ-
existens nutriri, & tunc non dicitur esse alius
ignis, sed idem nutritus, & auctus: ergo pro-
portionaliter cum per nutritionem alimen-
tum conuertitur in carnem, & ossa præexi-
stentia, dicitur remanere idem viuens. Sed
de hoc puncto egi ex professo in physica,
quæst. 9.

QVÆSTIO CCXCIV.

ET VLTIMA.

Virum semen sit de superfluo alimenti?

S. Th. q. 119. art. 2.

In Articulo 2. quæst. 119. & vltimo totius
primæ partis S. Thomas quærit, virum
semen sit de superfluo alimenti?

Respondet affirmatiue. Vt conclusio-
nem explicet, & probet, præmittit primo,
quod vt dictum est art. 1. huius quæstionis, &
nos explicauimus quæst. 29. proximè præce-
dente, in natura humana est virtus ad com-
municandam suam formam alteri materiæ,
non solum per generationem in alio indivi-
duo, sed etiam per nutritionem, & augmen-
tationem in eodem individuo. Rursus ali-
mentum, quod est materia, cui communica-
tur talis forma, ab initio est dissimile, ac in
fine euadit simile: ex-gr. ab initio est dissimile
carni, in fine, dum per nutritionem accipit
formam carnis, fit simile carni; ab initio est
dissimile homini, in fine, dum per generatio-
nem accipit formam hominis, fit simile ho-
mini.

2. Præmittit secundo, quod iuxta ordinem
naturalem, quo aliquid ex potentia reducitur
in actum, & ex potentia tali fit actu tale, il-
lud per quosdam gradus ex potentia reducitur
in actum, ideoque in generatione primo ali-
quid est imperfectum, & in potentia ad perfe-
ctionem, deinde paulatim perficitur, & fit
perfectum actu. Et quia commune, & inde-
terminatum ad proprium, & determinatum
comparatur, sicut imperfectum ad perfectum,

animal autem ad hominem, vel equum com-
paratur sicut quodammodo commune ad
proprium, ideo in generatione prius genera-
tur animal in actu secundo cum operationi-
bus sentiendi communibus, deinde generatur
homo vel equus cum operationibus proprijs
hominis, aut equi. Proportionaliter alimen-
tum prius transmutatur in chylum, & tunc
accipit quamdam virtutem communem, per
quam potest transmutari in quamlibet par-
tem corporis, puta in carnem, ossa &c. dein-
de paulatim determinatur ad hoc, vt sit caro,
vel os.

3. Præmittit tertio alimentum non posse
esse materiam seminis, cum iam est conuer-
sum in substantiam membrorum, & partium,
puta carnis, ossis &c. ita vt partes resoluantur
in semen. Ratio est, quia illud resolutum
vel non amplius retineret naturam eius, quod
resoluitur, vel illam retineret: si non retine-
ret naturam, quam habuisset, non esset in via
generationis, sed corruptionis, ac proinde
non retineret, nec haberet virtutem conuer-
tendi aliud in similem naturam carnis, ossis
&c. si retineret naturam carnis, ossis, reti-
neret naturam partis determinatæ, ac proinde
non haberet virtutem generandi totum com-
positum ex omnibus partibus, sed solum ge-
nerandi vnā partem determinatam, puta
carnem, aut os &c. Posset dici semen ita re-
solui, ac decidi ex omnibus partibus, vt reti-
neat naturam omnium partium, ac proinde
sit actu paruum quoddam animal, puta vt
semen canis sit actu paruum quidam canis, se-
men equi sit actu paruum quidam equus. Reij-
citur hæc sententia: nam hoc pacto generatio
animalis ex animali fieret solum per diuisionem,
sicut cum lutum diuiditur ex luto, &
sicut in animalibus, quæ diuisa viuunt: sed
hoc est inconueniens: ergo:

4. Præmittit quarto, quod quandoqui-
dem semen non decidit ex eo, quod erat
actu totum, hoc est ex toto animali, & sin-
gulis eius membris, decidit ex eo, quod
erat totum solum in potentia, & habebat vir-
tutem producendi per nutritionem singulas
partes animalis: sed hoc, quod est potentia,
totum animal, & singulæ eius partes, est il-
lud, quod generatur ex alimento, antequam
conuertatur in substantiam membrorum, in
carnem, ossa &c: ergo semen decidit, & ac-
cipitur ex eo, quod generatur ex alimento,
antequam conuertatur in substantiam mem-
brorum.

5. Hinc concluditur semen esse de super-
fluo alimenti. Illud enim, quod remanet ex
alimento, quod est iam potentia totum ani-
mal, vocatur superfluum alimenti. Ideo vir-
tus nutritiua dicitur deferuire virtuti genera-
tiuæ, quia id, quod est conuersum per virtu-
tem nutritiuam, & non deseruit nutritioni
individui, accipitur à virtute generatiua vt
semen ad generandum simile in specie. Con-
firmat hoc Aristoteles lib. 7. de Histor. animal.
cap. 7.

820 De generatione hominis ex semine.

cap. 7. ex signo. Nam animalia magni corporis parum habent seminis proportionaliter ad corpus, & similiter animalia pingua parum habent seminis: ergo signum est, quod quia multum alimenti consumunt in nutriendo magno, & pingui corpore, parum illis superest seminis, ac proinde semen est superfluum alimenti.

6. Quæres primo: si semen non est pars substantiæ generantis, sed est superfluum alimenti, quomodo verificatur dictum Damasceni, qui lib. 1. de fide, cap. 8. dicit, quod generatio est opus naturæ producens genitum ex substantia generantis?

Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 1. quod genitum dicitur esse ex substantia generantis, quia est ex semine, quod habet virtutem generandi à forma substantiæ generantis, & quia idem semen est potentia substantiæ generantis, ut explicatum est.

7. Quæritur secundo, quare sæpe filius non solum assimilatur patri, sed etiam auo, si generatur non ex aliquo, quod fuerit in auo, sed solum ex superfluo alimenti, quod non fuit in auo?

Respondet in resp. ad 2. quod assimilatur auo, quia in semine est aliqua virtus deriuata ab auo. Ideo genitum non assimilatur boui, ex cuius carnibus fit patris alimentum, sed patri, quia virtus generatiua deriuatur in alimentum, non ex cibis, ex quibus fit alimentum, sed ex animali, quod communicat

semini virtutem generatiuam.

8. Quæritur tertio, quo pacto verificetur dictum Augustini, qui lib. 10. de Gen. ad litt. cap. 19. & 20. dicit, quod nos fuimus in Adam, non solum secundum seminalem rationem, sed etiam secundum corpulentam substantiam.

Respondet in resp. ad 4. quod non est sic intelligendum, ut Augustinus docuerit in Adamo actu fuisse seminalem rationem propinquam huius hominis, aut corpulentam eius substantiam, sed solum ut utrumque fuerit in Adamo originaliter, seu secundum originem. Materia enim corporalis ministrata à matre, quam Augustinus vocat corpulentam substantiam, deriuatur originaliter ab Adamo, & similiter ab Adamo deriuatur virtus actiua existens in semine patris, quæ est propinqua ratio feminalis huius hominis. Christus dicitur fuisse in Adamo solum secundum corporealem substantiam, non autem secundum rationem seminalem, quia materia ministrata à matre Virgine, ex qua materia formatum est corpus Christi, deriuata est ab Adamo: virtus autem actiua, quæ formauit corpus Christi, non est deriuata ex Adamo, siquidem corpus Christi non est formatum per virtutem seminis virilis, sed per virtutem, & operationem Spiritus Sancti. Et per hæc Sanctus Thomas concludit primam partem suæ summæ Theologicæ.

FINIS PRIMI TOMI.